

IV
A 159



~~F. 16. 21.~~


EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.

IV A 159.

VITEBERG.

SIGNAT. c1o1oCCCXIII.





M. T. CICERONIS
ORATOR PERFECTUS

ANNOTAMENTIS ILLUSTRATUS
GEORGI CASPARIS

KIRCHMAJERI,

Orat. P. P.

Sub auspicio Ejusdem

Publicè exhibebitur

à

RESPONDENTE

JOHANNÉ GEORGIO HAHNIO,

Dresdensi,

D. Maji, A. c13 13c LXXIV,

H. Lqj. S.



WITTENBERGÆ,
Literis MICHAELIS MEYERI VIDUÆ.

Summibus fisci privati
Comparationes Curatoris
Blasius Berke h. 29
Bibliothecarius 1752.
et. 20. Aug.



B. C. D.

Ad M. TULLII CICERONIS,

De

PERFECTO
ORATORE,

Librum, qui inscriptus

M. BRUTO fuit;

ANNOTAMENTA GENERALIA.



N gratiam utilissimi libelli
& inscriptionis ejus, quæri po-
test: (1) *Deturné Orator & Vir*
eloquens perfectus? Nec enim
abs re dubitari posse, apud Cice-

ronem, in negotiò præsentî, cap. 2 M. Anto-
nius, (*cui vel primas eloquentia Patrum tri-
buebat ætas, vir naturâ acutus & prudens, in*
eò librò, quem unum reliquit,) statuit: *Disertos*
se vidisse multos, eloquentem neminem. Com-
prehensam enim omninò habebat eloquen-
tiæ absolutam quandam formam, quam vix
Deo concessam esse, (sed pingvissimâ Miner-
vâ,) dictitabat. *Quis est igitur Orator istius-*

A

modi

Deturné
Orator &
liquis per-
fectus?

Rationes
dubitan-
di

modi perfectus? complectar brevi; (ait capite octavo decimo Arpinas Doctor) is est eloquens, qui & humilia subtiliter, & magna graviter, & mediocria temperatè potest dicere. Talem neminem fuisse unquam quando subjicit Romanus Consul, modestè de se sentiens, vel suò, ut de aliis non dicam, exemplò confutari potest. Veruntamen Quintilianus etiam: Orator (inquit in proœmiò ad l. 1. Inst.) vir talis est, qualis verè sapiens appellari possit; nec moribus modò perfectus, sed & scientià & omni facultate dicendi, qualis adhuc fortasse nemo fuerit. Huc illud insuper accedit, quòd Orator aliquis excellens, π $\nu\sigma\phi\omicron\varsigma$ $\eta\gamma\iota$ $\pi\alpha\nu\delta\alpha\eta\mu\omega\nu$, ac (ut l. de Orat. ait Tullius) omnigenæ eruditionis belluo esse debet. quandoquidem in eò, quod quis penitus ignorat, disertus esse nequeat. Nostra omnis verò, quantacunq; etiam, scientia & cognitio, secundum illud divi Paulli

Decisio. I. Cor. 13, 12, *en ubèrs* est, ac imperfecta. Tenendum interim discrimen (1) inter Oratorem, quatenus consideratur *in ideâ s. abstractè*, cui nihil necessariorum deest, nihil vitii aut imperfectionis inest; & quatenus spectatur *in naturâ & concretè*. Priori ratione Cicero fatetur, & fatemur nos cum ipsò: non dari, sed desiderari talem. (2) Novimus perfectum dici *vel simpliciter, vel respectivè*: i. e. in totum, vel secundum gradus & in tantum. Priori modò bonus & perfectus solus DEUS: poste-

posteriori, solus sapiens. Oportet nimirum in naturâ & in arte quâvis quoddam esse certâ ratione summum; secus omnis tenderet in infinitum appetitus, nullô, vel quantolibet excessu satiandus. Hâc ratione incomparabiles Theologos, consummatissimos Jurisconsultos, experientissimos Medicos, subtilissimos Philosophos, & ingeniosissimos Poëtas & pictores appellari novimus. Et tantum de I. quæstione.

Altera hæc esse potest: *Quid M. Brutum maximè impulerit ad desiderium presentis argumenti?* Respondet ipse Tullius c. 5. *Ingenium, studia, & incredibilium virtutum famam Bruti, qui in maximis occupationibus nunquam intermiserit doctrine studia; semper aut scribens aliquid, aut alios ad scribendum vocans, ut per eloqvendi artes ad honores maximos pararetur via. Quod idem, quantumvis paullò aliter, significavit Autor apud Tacitum Dialogo: neminem potentiam sine eloquentia fuisse assecutum. Dixit Hesiodus: Reges omnes, qui Deo chari extiterunt, cælitus donatos eloquentiâ fuisse. Hinc patre magnò majorem Alexandrum novimus, Rhetoricen & eloqvendi artes, ne in aliorum quoq; pervenirent manûs, sollicitè à Stagyritâ præceptore suô petiisse. Marte etenim ac arte ceteris mortalibus præstare cupiebat idem, & indignabatur, communicari laudem illam*

Quam-
berem li-
ber atq;
labor hic
susceptus

Exempla
Regum
aliquot
Heroum
Oratorum

cum humillimis. Duplicem id propter Aristoteles Rhetoricam elaborasse dicitur, vulgaram alteram & communem; (quæ inscripta Theodectæ,) alteram peculiarem, usibus dicatam Alexandri; incomparabilem, ut ipse loquitur, opellam. c. i. Rhetor. Et verò quid de aliis dicemus? Pompejum nempe Magnum, cujus eloquentiam inter artes cæteras Imperatorias mirificè commendat Tullius, repetiisse declamandi consuetudinem sub initia civilis belli; M. Antonium autem & Augustum ne Mutinensi quidem præliò abstinuisse, memorat Tranquillus. Usq; adeò summis semper proprium domesticumq; Viris fuit, eloquentiam amare & sectari; quòd sine ea, ad excellentiam aliquam in administratione Reipublicæ haudquaquam perventuros se existimarent.

Quæst. 3. Tertia, & ipsa brevis quæstio moveri potest: *ecquomodo libellus hicce dispescatur commode?* Respondemus, generatim in *prologum, in λόγον ipsum, & epilogum.* Adest videlicet introitus, rotundè atq; modestissimè formatus: succedit principalis quæstio, de optimâ & perfectissimâ dicendi ratione; quam per requisita omnis generis, ad perfecti Oratoris excellentiam necessaria, illustravit Cicero. Exodus tandem & epilogus blandissimum Bruti alloqvium, & de præsentis negotiò iudicium summissum exhibet.

Anno-

Annotamenta specialia

ad

Introitum s. *Prologum*, (quem & ingressio-
nem ipse Tullius appellat, c. 2.) capite
initiali comprehensum.

Occurrunt in eodem, causæ ac adjuncta. Ad
causas pertinet

Efficiens (1) *moralis*, svadens nimirum & im- *Causæ ex-*
pellens, Brutus: c. 1. & 5. (2) *Physica* & *ternæ*
principalis, Cicero. *& internæ*
libelli hujus

(2.) *Finis principalis*, ut hortanti Bruto ac in- *eruantur.*
stanti toties, tandem gratificetur, c. 1.
atq; 5.

Minus Principalis, ut dicendi præcepta
studiosis virisq; traderet ad eloquenti-
am, c. 29.

(3.) *Materia*, est summum perfectissimumq;
dicendi ac scribendi genus & figura o-
ptima, c. 1.

(4.) *Forma* atq; modus consistit in descriptio-
ne necessariarum ad hanc artem parti-
um in elocutione maximè sitarum: ubi
de inventionem, collocationem actioneq;
se breviter egisse, docet Cicero, c. 9. Quò
refer modestissimam dignissimamq;
Oratore ubi libet, extenuationem.

Adjuncta quæ sequntur, sunt (1) *gravita-*
tis seu *difficultatis*, c. 1. & c. 5. (2) *tempo-*
ris, dum statim Catone absolutò aggressum se

laborem hunc fuisse, Tullius significavit, e. eod.

Conatus
ad maxi-
ma is etiã
laudabi-
lis, qui
magnitu-
dinem as-
sequi non
potest.

*Prima enim sequentem, honestum est in se-
cundis tertiusq; consistere.)* Qui hæc legitis, au-
dite quæso *Fabium Quintilianum* proœm.
ad lib. i. Instit. Orat. *Est certè aliquid consum-
mata eloquentia, neq; ad id pervenire natura
humani ingenii prohibet. Quod si non contin-
git, altiùs tamen ibunt, qui ad summa nitentur,
quàm qui præsumtâ desperatione evadendi, quò
volunt, protinùs circa ima substiterint.*

Est aliquid prodire tenus, si non datur ultrà.

Audite maximum Theologum tam mode-
stissimè de se loquentem: (*Lutherum præfat.
in Genesim*) *Non is ego sum, de quò dici pos-
sit: feci: neq; is, de quò dicere possis: faciebat.*
*In ultimò consistere ordine, qui vix dicere au-
det: Volui facere. Et utinam essem dignus, in
hoc ordine ultimò ultimus esse.* Nos primum
Perfecti Oratoris requisitum facimus ex Ci-
cerone:

Primum
excellen-
tis Orato-
ris r. qui
fitum ge-
nerale
vis inge-
niij & ma-
gnarum
artium
rerumq;
copia.

*Vim ingenii præstantis & magnarum artium
instructum disciplinis pectus.)*

Non tamen etiam non mediocritas hono-
ri est, & laudandus generosior conatus sæpè.
Quod (i.) *exemplis* demonstrat Tullius: inter
Poëtas egregium Homerum, inter Philoso-
phos Platonem, inter manuarios artifices
præstantes Jalysum & Doriphorum, inter
Orato-

Oratores Græcos clarissimum Demosthenem, à magnis conatibus non ideò deterruisse alios. (2) *Rationibus* sic probat. Nihil in ullò genere tam pulchrum esse, quò non fingi concipiq; aut optari tamen possit pulcrius. Ut ideò non sit, cur, qui studio eloquentiæ se dediderunt, eorum spes infringatur, aut industria langvescat. *Cur deficiat animus? Natura enim perfectum Oratorem esse non prohibet. Turpiterq; desperatur, quicquid fieri potest: quærit & respondet Fabius 1. Instit. 15.*

Illi non intelligendi solum sed etiam dicendi gravissimus auctor, & magister, Plato.)

Notent hunc illi locum, qui solum in ore, in honore, in admiratione habent Aristotelem. Plato nimirum os illud in Philosophiâ purgatissimum lucidissimumq; cum quò errare mavult Cicero, quam sapere cum aliis. Quare l. 4. Epist. ad Attic. 16. *Deus ille noster Plato,* ait. & l. 2. de natur. Deor. c. 12. *Platonem audiamus, monet, quasi quendam Philosophorum Deum.* Socratem in Philosophiâ practica excelluisse, Pythagoram in contemplativâ, Platonem in utraq; ferunt. Stylus Platonis non tam humanis eloquiis, quam oraculis videtur esse similis. Non res modò præstantissimas abstrusissimasq; offert, sed oratoriam addit elocutionem & poëtica ornamenta. (B. Sperling. meditat. XI. in Scalig. de

Judicium
de Platone

subtil. exerc. 6. sect. 2. eff. 1.) Fuit interdum, inquit *Marsilius Ficinus*, (qui de Philosophorum hocce phosphoro quàm plurima collegit) atque vagatur, ut Vates, & ordinem intereà non humanum servat, sed fatidicum & divinum. Crediderunt veteres, Jovis ore aut locutum Platonem, aut locuturum Jovem ore Platonis.

Idez Platonice
quid fuerint?

Rerum formas appellat ideas; easque gigni negat, & ait semper esse, ac ratione & intelligentiâ contineri, &c.) De his rerum formis & ideis, quas statuit divinus Plato sapienter solidèq; magnum *Wittebergæ* & Professionis suæ olim decus *Sperlingius* egit *Meditat. XII. in Scaliger. de subtilit. exerc. 6. sect. 3. & 4. effat 2. à pag. 349. usq; ad 366.* Itemq; *Adrian Heereboord. vol. 2. disput. ex Philosoph. select. disp. 31, 32, 33, & seqq. nec non Jacobus Fournenc, in univers. Philosoph. Syn. Tom. 1. Communis vox est, sed eadem erronea: Platonice ideas formas esse, extra Deum existentes, à quibus singularia suas capiant essentias. In ideis his Platonem summum collocasse bonum, ajunt, sicut alii in deliciis. Malè omnia hæc inquam, & contra Platonis sensum.*

AD CAP. II.

Ratio ad
ducti Pro-
logi.

AC video, hanc primam ingressionem meam non ex Oratoris disputationibus ductam, sed è mediâ Philosophiâ repetitâ &c.) Introitus seu prolo-

prologi nunc ἐπεξήγησιν subjungit, petitam ex Philosophiæ præcæ ac Platoniciæ principis. Docet nimirum Oratoriæ ac Philosophiæ contubernium arctissimum his verbis. Hinc de Claris Oratoribus (quilibet Bruti quoque nomen præfert) duas summas in Oratore laudes esse, unam, subtiliter disputandi, ad docendum; alteram, graviter agendi, ad movendos audientium animos, affirmat. Confer Platonem etiam in Phædrô, ubi plura sapientissimus Græcorum.

Fateor, me Oratorem, non Rhetorum officinis extitisse,) Nec Orator cum Rhetore, nec cum Oratoriâ Rhetori & confundi debet. Est Orator vir bonus, qui de re quavis ornatè & accommodatè potest dicere ad persuadendum. Neque Oratoris vis & facultas, sicut cæterarum rerum angustis brevibusque terminis clauditur. *Sedis* (inquit Autor Dialogi de corruptæ Eloquentiæ causis ap. Tacitum) *Orator est, qui de omni questione pulchrè & ornatè & ad persuadendum aptè dicere, pro dignitate rerum, ad utilitatem temporum, cum voluptate audientium, possit.* Nihil horum ad Rhetoricum referre licet. Fuerunt in magnâ semper admiratione atque dignitate Oratores Romæ; Rhetorici nunquam. Homines etenim Grammatici & obscuro otiosique, qui nunquam aliquid in publico aude-

A s

rent,

Oratoris
atque Rhe-
toris di-
scrimen
multi-
plex.

rent, apologis, aut casuum inflexionibus, aut figuris exponendis dediti, in commune habebantur, Senatus Consulto proscripti Urbe, Cn. Domitio Oenobarbo, & Lucio Licinio Crafsō Censoribus propterea Vid. *Sveton.* lib. de Claris Rhetor; consulatur etiam *Fabius*, aut quisquis Autor est Dialogi apud *Tacit.* c. 29. circ. fin. Rectissime *Laurentius Val- la* 4. Eleg. 18. Nos ait, *Rhetorem Rhetorica vocamus Professore, non Oratorem: mirorq; cur in hoc tam facili pervulgatoq; nomine exponendo Victorinus errarit.* Pertinet huc quoq; *Plinii Junioris ad Minutianum* locus, lib. 4. epist. XI. *Valerius Licinianus nunc eò decidit, ut exul de Senatore, Rhetor de Oratore fieret.* De ipsius verò Oratoriæ à Rhetoricâ discrimine prudenter *Julius ille Cesar Scaliger* 1. de subtil. 2. *Oratoria est Politicæ pars: Rhetorica verò λόγική: cujus tertia portio Grammatica est.* Conf. in primis *Sperling.* in *Scaliger.* meditat. l. allegat. p. 70. & seq.

Acade-
miz spa-
cia.

Sed ex Academia spatiis.) Hæc Rhetorum opponendo officinis per spacia tropicè indigitat Philosophiam, ejusdemq; Doctores Academicos, Platonicos' Aristotelicosq; & eorum disputationes. Solebant scilicet inambulando profiteri. In ambulatione autem plura simul spacia fuerunt, per quæ obibant publicè Philosophiam in Peripato docentes.

Sine

Sine Philosophiâ non posse effici, quem quaerimus, eloquentem.) Item: *nec latius nec copiosius de magnis variisq; rebus sine Philosophiâ potest quisquam dicere*) Dividebant Veteres Philosophiam in tres partes, h. e. in Physicam, Moralem atq; Logicam. Inde Seneca: *Philosophia tres partes esse dixerunt & maximi & plurimi auctores: Moralem, Naturalem, & Notionalem.* Hôc sensu Oratoriam Politicâ, (sub quâ & Jurisprudentiam cum Cicero comprehendit Seneca,) vocabant partem. Et Fabius 12. Instit. Orat. 2. *cùm sit in tres partes divisa Philosophia, in Naturalem, Moralem, Rationalem, quæ tandem non est cum Oratoris opere conjuncta?* Quâ de partitione non laborabimus impræsens. Id nobis sufficit, quod noster Tullius & Quintilianus insuper inculcat; sine Philosophiæ cognitione accuratâ, Oratorem neminem perfectum unquam evasisse.

In Phædrô Platonis hoc Periclem præstitisse cæteris dicit Oratoribus Socrates, quòd is Anaxagora Physici fuerit auditor.) Phædri meminit, cujus ingenio tantoperè delectatus Plato dicitur, ut primitias studiorum Phædro equidem dicaverit. Ad hunc epigrammata, ad hunc Platonis elegiæ ibant. Quod *Periclem* attinet, videndus de vi eloqvendi ejus incredibili *Quintilianus* est 12. Instit. Orat. 2.

Nobis

Secundū
perfecti
Orato-
ris requi-
situm ge-
nerale,
Cognitio
Philoso-
phiæ.

Phædrus
& Pericles

Nobis hic loci placet alloquentes ipsas in Platonis Phædrō sistere personas. *Videtur, o vir optime, (inquit Socrates,) non injuriā Pericles Oratorum omnium perfectissimus extitisse. Phædr. Cur? Socr. Magnæ quælibet artes exercitatione dialecticâ, contemplatione sublimium in naturâ rerum indigent. Ipsa enim mentis sublimitas, & vix efficax in quâvis re perficienda, hinc quodammodo proficisci videntur, quòd Pericles ad ingenii acumen adjunxit. Anaxagoræ nempe hujusmodi rerum indagatoris felicitate fretus, contemplationi se tradidit &c. Sed vide de Periclis vi eloquendi summâ Thucydidem, & admirare.*

**Demo-
sthenes
Platonis
diligens
auditor.**

Idem de Demosthene existimari potest, quàm frequens fuerit Platonis auditor:)

Marsilius Ficinus argumento in Dialog. Platon. de Republ. testatur, Platonis adeò attentum diligentemq; auditorem Demosthenem extitisse, ut dixerit: *malle se honestè mori, quàm turpiter vivere; postquam Platonem & Xenocratem de animarum immortalitate differentes audivisset.*

**Logica
Oratori
necessaria**

Nec verò sine Philosophorum disciplinâ, genus, & speciem cujusq; rei cernere, neq; eam definiendo explicare, nec tribuere in partes possumus: nec judicare, quæ vera, quæ falsa sint neq; cernere consequentia, repugnantia videre, ambigua distinguere.) Ad Dialecticem hæc spectant

stant. Necessarium ac speciale Oratoris requisitum hoc, reddere ad articulos familiarem sibi Logicam, propter memoratas à Cicerone rationes. Adstipulatur etiam Quintilianus 12. Inst. Orat. 2. *Hæc pars Dialectica, inqviens, sive illam dicere malimus Disputatricem, est utilis sapè, & finitionibus, & comprehensionibus, & separandis, quæ sunt differentia & resolvenda ambiguitate, & distinguendo, dividendo, illiciendo, implicando, &c.*

Quid dicam de naturâ rerum, cujus cognitio magnam orationis suppe ditat copiam?) Philosophiam naturalem his indigitat, de cujus utilitate Oratori necessariâ, dicturi infra sumus aliquid ad cap. 20.

Et Philo-
sophia
Naturalis.

De vitâ, de officiis, de virtute, de moribus?) Moralem his Philosophiam verbis notat. De quâ Fabius all. loco: *Pars illa moralis, ait, quæ dicitur Ethice, certè tota Oratori est accommodatâ. Quin etiam illa pars tertia, quæ laudandi & vituperandi officiis continetur, nempe in tractatu recti praviq; versatur. An de justitiâ, fortitudine, abstinentiâ, temperantiâ, pietate, non plurima dicet Orator?* Hinc est, quòd Periclem Plato atq; Isocratem præponit aliis in Phœdrô, quia eloquentiam cum Philosophiâ conjunxerunt. Additq; (verba sunt Marsilii Ficini in Gorgiam Platonis) *legitimum Oratorem oportere rerum intelligere*
ratio-

Et Mora-
lis.

nationes, morum leges, verborum vires, naturas ingeniorum, & id genus alia audientium ingeniiis accommodatapropter persuadendum.

Quò fit, ut veram illam & absolutam eloquentiam nemo consequatur; quòd alia intelligendi, alia discendi disciplina est, & ab aliis rerum; ab aliis verborum doctrina queritur.) Per intelligendi disciplinas Philosophiæ partem triplicem, per verborum doctrinam hinc Rhetoricen intelligit: necessitatem utriusq; & velut conjugium requirens in perfecto Oratore.

M. Antonius, cui vel primas eloquentiæ partum nostrorum tribuebat etas, vir naturâ peracutus, &c.)

Multa de M. Antonii hujusce laudibus l. 3. de Oratore Cicero, quem vide; nec confunde cum Antoniô illô M. Tullii adversariô & interfectore, in quem conscriptæ tot Philippicæ.

Idem ille, vix Deo esse concessum, dicebat:) Indigna Oratore & Philosophô *κατὰ χροίον* Antonii.

AD CAP. III.

Triples
discendi
character.

TRia sunt omninò genera dicendi,) Ne confundantur genera dicendi, cum scribendi characteribus, sciendum, non dicendi numerũ ternarium, Demonstrativi, Deliberativi, atq; Juri-

Juridicialis generis intelligi h. l. Character styli nempe triplex est, tenuis, mediocris & magnificus. Quâ de re Tullius, & nos alibi in Medullâ Orator. l. i. c. 9. Sed confer omninò etiam Quintilian 12. Instit. Orator. 10. Nec non Aristot. 3. Rhetor. 15.

Est autem quidam interjectus, & quasi temperatus, &c. vicinus amborum.) Secuti hîc Lambinum quidem sumus; sed fatendum est, videri nobis præferendam Gruteri lectionem, quæ sic: *Est a. quidam interjectus, inter hos medius & quasi temperatus, quasi cinrus amborum.* Cujus loci restitutionem Nonio debemus; cum in libris editis scriptisque maculosus videretur jure.

Emenda-
tur lectio
hîc, & in
seq.

AD CAP. IV.

U*Tinam in Latinis talis Oratoris simulacrum reperire possemus.*) At enim est ipse inter Latinos Oratores Cicero, inter Poëtas Maro; quorum uterque magnum in omni genere scribendi nomen meruit.

Recordor me longè omnibus) Sic vulgati legunt Codices, sed pronomen *me* non est in Gallicanis Palatinisq; exemplaribus.

*Unum anteferre Demosthenem, qui vim accom-
modarit ad eam, quã sentiam, eloquentiam,*) Pro exemplò absolutissimi Oratoris sistit unicum Demosthenem Romanus Consul: quò de in Claris Oratoribus c. 10. testatur idem. *Cui
nihil*

Laus elo-
quentiæ
Demo-
sthenis.

nihil admodum desit, Demosthenem facile dixeris. Nihil acutè inveniri potuit in eis causis, quas scripsit, nihil subdolè, nihil versutè, quod ille non viderit; nihil subtiliter dici, nihil pressè, nihil enucleatè, quò fieri possit aliquid limatius: nihil contrà grande, nihil incitatum, nihil ornatum, vel verborum gravitate, vel sententiarum, quò quicquam esset elatius. Confirmat idem Fabius 10. Instit. Orat. 1. Longè princeps, inqviens, Demosthenes, ac penè lex orandi fuit; tanta vis in eò, tam densa omnia, tam nihil otiosum; is dicendi modus, ut nec, quod desit in eò, nec quod redundet, invenias. Nec temperantior) Temperantior Gruterus legit.

Quid sit
Atticè
dicere,

Qui aut dici se desiderant Atticos, aut ipsi Atticè volunt dicere,) Quid sit esse Atticum, Atticèqve dicere, ex Fabiò Tullioqve ostendemus breviter. Ille quidem sic 12. Instit. Orator. 9. Atticè dicere, optimè esse dicere, fatetur. Nemo igitur dubitaverit, (verba ejus sunt antecedentia ibidem) longè esse optimum genus Atticorum; in quò ut est aliquid inter ipsos commune, i. e. iudicium acre, tersum, ita ingeniorum plurima forma, &c. Hic verò egit plenius in optimò Oratorum genere, & de Claris Oratoribus ad Brutum.

AD CAP. V.

Quid enim sit Atticum, discant,) Vide sis hâc parte Adrian. Turneb, 28. Adversar 22.

Et

Et imprimis Cicer. de opt. genere Ora-
tor.

Aures Atti-
corm
delicatis-
simas.

*Eorum, (Atheniensium) religioni cum ser-
viret Orator, nullum verbum insolens, nullum
odiosum ponere audebat.)* Tam teretes ac
delicatas aures Attici habebant, ut in super-
stitionem propemodum praestantia dicendi
verteret. Nec mirum de Atheniensibus id
quidem; quum & *Graculi illi Tarentini Post-
humium Legatum, à Romanis missum, si
quid ab eò diceretur, quod non exactissimum
Græci sermonis characterem referret, obser-
varent & riderent, offensi ad dicendum sur-
rectionibus barbarum vocarent, & è theatrò
ejicerent; teste Dionys. Halicarn. in excer-
ptis de legation. c. 4.* Memorabile cætero-
quin est, quod in causâ simili *Plutarchus*
prodidit in vitâ Phocionis: *Zeno dice-
bat, Philosophum verba prius in ani-
mum demersa proferre debere; id in Pho-
cionis erat oratione, ut paucissimis verbis
plurimum sententiæ comprehenderet. Nam
ut numisma exiguò pondere plurimum preti-
um continet: ita vis dicendi paucis vocibus multa
indicat.* Demosthenes etiam, cum reliquos
Oratores nihili faceret, Phocione ad oran-
dum assurgente, submissâ voce dicere solebat:
meorum sermonum securis adest. Unum enim
bonum viri verbum, unus nutus sexcentis

B

argu-

argumentis ac verborum continuationibus parem fidem meretur. Hæc ille.

Oratio
Demosth.
pro Ctesiphonte.

Itaq; hic, quem præstitisse diximus cæteris, in illâ pro (Ctesiphonte Oratione longè optimâ,) De hæc ita Tullius 3. de Orator. c. 56. Æschines, cum propter ignominiam iudicii cessisset Athenis, & se Rhodum contulisset, rogatus à Rhodiis, legisse fertur Orationem illam egregiam, quam in Ctesiphontem contra Demosthenem dixerat; quâ perlectâ, petatum est ab eò postridiè, ut legeret illam etiam, quæ erat contrâ à Demosthene pro Ctesiphonte edita: quam cum suavissimâ & maximâ voce legisset, admirantibus omnibus: quantò, inquit, magis admiraremini, si audissetis ipsum?

Ac tamen in hoc ipso, diligenter examinante verborum omnium pondera, reprehendit Æschines quædam & exagitat:) Octo fuerunt, (ut Diogenes Lærtius in vitâ Æschinis testatur) hóc olim nomine insignes. Primus, Lyfama, aut Charini filius. Secundus, qui artem Oratoriam scripsit. Tertius, Orator, æmulus Demosthenis. Quartus, Arcadiâ profectus, Socratis discipulus. Quintus Mitylenæus, quem & flagellum Oratorum vocabant. Sextus, Neapolitanus, Academicus Philosophus. Septimus, Milesius, civilis scriptor æqualis Ciceronis. Octavus, Statuarius.

Incli-

*Inclinatâ ululantiq; voce canere more Asia-
ticô, &c.)* Inter vitia Oratorum ponitur
cantillatio insvavis; quam in rem vid. sis
qvæst. 2. Synops. Orator. 1. 5. c. 2. ut enim
vox latrans à Fabiô rectè alibi damnatur; sic
& ululans à Cicerone hîc.

Vox ulu-
lans

*Cui (Pericli) primæ sine controversiâ defe-
rebantur; qui ab Aristophane Poëtâ fulgura-
re, tonare, permiscere Græciam dictus est.)*

Pericles in
dicendo
fulmina-
tor.

Præcipua Oratoris virtus est, permovere ani-
mos & velut percellere, affectusq; concitare
ac sedare iterum. Excelluit hîc quondam
nomine *Pericles*, *fulminator* inde dictus à
nonnullis. Hæc enim de eô habent, (ut in
vit. ejus memorat Plutarchus,) *in concionibus
eum tonare ac fulgurare, horrible fulmen in
lingvâ ferre.* Enimverò Pericles ipse in di-
cendô cautus fuit, ac quoties ad tribunal di-
cendi causâ accederet, comprecatus est Deos,
*ne quod sibi præter suam voluntatem ver-
bum excideret, quod ad rem propositam
non faceret.* Orationes hujus aliquot apud
Thucydidem invenies.

*Dicat igitur Atticè venustissimus ille scriptor,
ac politissimus Lysias &c.)* Accuratum & pro-
lixius de Oratore *Lysiâ* judicium vide ap.
Dionys. Halicarn. in Oratoribus antiquis de
eodem. Tullius noster alibi; (3. de Orator.
c. 7.) Svavitatem vendicat Isocrati, subtili-
tatem

Lysiz di-
ctio qua-
lis?

tatem Lysiaë, acumen Hyperidi, sonitum Æschini, vim Demostheni, &c.

Attico-
rum gra-
vitas di-
cendi ac
ornatus.

Ornatè verò & graviter & copiosè dicere, aut Atticorum sit, aut ne sit Æschines, neve Demosthenes Atticus.) Inter Atticos Oratores (inquit Autor Dialog. ap. Tacit. de corruptæ Eloquentiæ causis, c. 25.) primæ Demostheni tribuuntur; proximum autem locum Æschines & Hyperides & Lysias & Lycurgus obtinent; omnium autem consensu hæc Oratorum ætas maximè probatur.

Emend.
Lect.

Ecce autem aliquid se Thucydidius esse profitentur,) Lambini lectio hæc, nec sonum aliquem nec sensum habet. Lege ita, atq; senti: *Ecce autem aliqui se Thucydidius* (h. e. asseclas Thucydidi, ab Adjectivò nominis proprii) *esse profitentur.*

Thucydi-
dis dictio.

Thucydides autem res gestas & bella narrat, & prælia, graviter sanè & probè. Nihil ab eò transferri potest ad forenses usum & publicum.) Admirandum ab historiâ magis, quàm forensi eloquentiâ, Thucydidem existimamus. Sed Cicero audiatur potiùs, qui sic de Opt. Orator. genere, c. 5. *Converti ex Atticis duorum eloquentissimorum nobilissimas Orationes, inter se contrarias, Æschinis Demosthenisq;: nec converti ut interpretes, sed ut Orator sententiis iisdem & earum formis, tanquam figuris, verbis ad nostram consuetudinem aptis,*

in quibus non verbum verbo necesse habui reddere, sed genus omnium verborum vimq; servavi. Non enim ea me annumerare lectori putavi oportere, sed tanquam appendere. Sed exorietur Thucydides. Ejus enim quidam eloquentiam admirantur. Id quidem rectè: sed nihil ad eum Oratorem, quem quaerimus. Aliud est enim explicare res gestas narrando, aliud argumentando criminari, crimen vè dissolvere: aliud narratione tenere auditorem, aliud concitare, &c. Plura, qui vult de Thucydide, Haliarnasæum adeat, qui fusissimè omnium ac diligentissimè de eodem judicavit.

Ipsæ ille conciones ita multas habent obscuras abditasq; sententias, vix ut intelligantur: quod est in Oratione civili vitium quàm maximum.)

Sententiis
abditæ &
obscuræ
Orato-
rem mi-
nus de-
cens.

Nota vitium, à sententiis obscuris & ex abditò allatis, in oratione civili pariter & Ecclesiasticâ. Aliud Historicum videlicet, aliudq; Oratorem decet. Tacitum ex abditò sententias duxisse, & densasse in historiâ, quis verò nescit? Historico & Politico hæc abeant, non Oratori.

Quæ est in hominibus tanta perversitas, ut, inventis frugibus, glande vescantur?) Sententia magnò dicta à judiciò. Ita comparatum nempe est in disciplinis & Auctoribus nonnullis inculcandis, ut cervam pro Minervâ, fungum pro cerebrò, ossa pro medullis, er-

Inventis
frugibus,
glandibus
ridicu-
lum.

rores veteres pro veritate ament potius ac amplectantur multi.

Judicium
de Thu-
cydide.

Quis unquam Græcorum Rhetorum à Thucydide quicquam duxit? At laudatus est ab omnibus, fateor: sed ita, ut rerum explicator prudens, severus, gravis; non ut in judiciis versaret causas.) Eminent inter Historicos è Græcis equidem Thucydides, sed non Orator idem; quantumvis Orationes plurimas historiis admisceat. Hunc tanti fecerat Demosthenes Historicum, ut suam ipsum manu octies describeret, & ad verbum memoria mandaret, Auctore Luciano, adversus indoctum Dialogo. *Multum fidei, si quis alius, scriptor hic meretur, inquit Vossius de Histor. Græc. l. i. c. 4.* Elocutione tota gravis brevisq; est Thucydides, densus sententiis, sanus judiciis, occultè instruens ubiq; , & sibi semper instans. Conf. Lips. i. Politic.

Notatur
Lambini

Nomen ejus non extaret,) Lambini lectio hæc; sed abest negativa Palatinis atq; Memmiano; nec agnoscunt editiones etiam antiquæ.

Xenophontis
dictio
absolutissima.

Xenophontis sermo est ille quidem melle dulcior, sed à forensi strepitu remotissimus.) Principem appellat Xenophontem Tullius 2. de orat. 14. *Musasq; ore ejus locutas, idem asserit hoc, quem tractamus, librò.* Propter sermonis suavitatem Musa dicebatur Attica à priscis, teste Laërtiò in vitâ Xenophontis. *Apis item audiebat Attica, ut est in col-*
lecta-

lectaneis ap. Suidam. *Dion. Chrysoft.* Oratione de dicendi exercitiô: *Vel solius ejus lectionem sufficere posse*, ait, *homini Politico.* Vide prætereà quæ *Dionys. Halicarnass.* in scriptorum veterum censurâ de eodem habet. Confer. & *Gerh. Johann. Vossium* de *Histor. Græc.* l. i. c. 5.

Quid tam distans, quàm à severitate comitas? quis tamen unquam te aut sanctior est habitus, aut dulcior?) An sit severitatis comitatisq; contubernium sive temperamentum & quale illud esse debeat, hîc quaeritur. In se quidem has distare maximè virtutes, certum est, & fatetur *Cicero.* *Nepos* interim testatur, fuisse in *Miltiade Atheniensi* cum summam humanitatem, tum miram comitatem, ut nemo tam humilis esset, cui non ad eum aditus pateret. *Magnam tamen & auctoritatem* apud omnes civitates, & nobile illi nomen constituisse, idem in vitâ ejus subjicit à fine. Sic videlicet tuenda est auctoritas, ut ne in humanitatem difficilis existas. Sic exercenda humanitas est, ne amittas etiam auctoritatem. Oportet sanctitatem & simul integritatem morum facilitate temperare. In dubiô sit, utrum te ament boni magis, an reveantur.

Ennio delector, ait quispiã, quòd non discedit à communi more verborum.) Condidit *Ennius* carminib; res Romanorum: Græcorum fabu-

Misceri
comitas
severitasq;
debet.

las Latio intulit, scripsit satyras, intactum Romanis ingeniis opus. Quæ novitas rerum, & vix dum degustari cœpta Musarum dulcedo ita detinuit ac cepit Populum Martium, ut admirarentur omnes ingenium viri, neq; minoris existimarent deductum Sardinia Poëtam, quàm quemlibet amplissimum Sardinensem triumphum. *Buchner. Orat. Panegyri. Metschii.*

Fac alium Attico) Lege Attio.

Et Leontinum ferunt Gorgiam:) Vid. de hoc Gorgia Platonem, qui de eodem ex professo agit ibi, ubi de Rhetorica. Conf. & Ciceronem infra c. 33.

Opt. ora-
tionum
faber.

Theodorum inde Byzantium) Socrates apud Platonem in Phædrô hunc optimum orationum fabrum nominat Byzantium.

Dictio
Herodoti

Quò magis sunt Herodotus Thucydidesq; mirabiles:) De stylô Thucydideô suprâ constitit; de Herodoti Oratione quid sit habendum? Halicarn. docuit in censurâ veterum scriptorum, p. m. 189. & 256. in resp. de præcipuis Historicis.

Horum ætati successit Isocrates, qui præter ceteros ejusdemq; generis laudatur semper à nobis &c.) Post Platonem, prolixissimè de Isocratis sermone artificiôq; egit Dionysius laudatus, p. 194.

Thucy-

Thucydides autem præfractior, nec satis rotundus:) Præfractiori opponit hîc rotundum. Quid per utrumq; sibi velit? quæritur. *Rotundum* apud veteres Latinos idem atq; elegans, compositum, perfectum designabat. Sic rotundè dicere, aut scribere appellabatur, qui concinnè, qui eleganter.

Quid sit rotundè dicere.

*Græcis ingenium, Græcis dedit ore rotundò
Musa loqui.*

Uti cecinit *Horatius*. Hôc sensu rotundæ clausulæ vocabantur, intra quas sententiæ clauduntur, separatæ à sequentibus. Sic rotundum hominem, pro puerô omnium exquisitissimè formosô legimus apud *Martialem*. *Ausonius de viro bono.*

*Quid proceres vaniq; ferant, quid opinio
vulgi,
Securus mundi instar habens, teres atq; ro-
tundus.*

Et rotunditatem divis simillimam formam canit *Manlius*, l. i. Conf. *Barth.* 46. Advers. 16. Jam ergò facilè intelliges præfractum, i. e. abscissum, abruptum, minus concinnum, aut elegans.

De Isocrate seniore scribit Plato,) In *Phædrô* suô, ferè circa finem.

Et quidem exagitator omnium Rhetorum,) *Miris fanè modis insectatur Plato Rhetores, in Gorgiâ; Rhetoricenq; jungit arti coqvina-*

*Plato
Rhetorum
exa-
gitator.*

riæ, fucatoriæ, sophisticæ; atq; Rhetoricam subire adulationes, haud secus ac sophisticam, Medicinam & legalem Judiciariam.

Solutum & affluens,) Lege effluens.

AD CAP. VI.

T*Ria videnda sunt Oratori, quid dicat, & quò quidq; loco, & quomodo?) Totum opus hoc ab Inventione, Dispositione, Elocutione, atq; Actione pendet: de quibus ordine ac speciatim in seqq.*

Nulla præcepta ponemus, neq; enim id suscepimus) Sed quare infrâ c. 29. profitetur, se dicendi præcepta studiosis & quasi vias, quæ ad eloquentiam ferant, traditurum? Sciendum nempe est, jam in Rhetoric. libris duobus, de Oratore libris tribus, & Topicis hæc præstitisse Tullium.

AD CAP. VII.

**Inventio-
nis requi-
sita.**

I*nvenire, & judicare, quid dicas, magna illa quidem sunt, & tanquam animi instar in corpore:) Fons & origo eloquentiæ, inveniendi promptitudo est. Inventionis autem præcipuum negotium excogitare (1) Res; quam artem vis & potentiæ imaginativæ præstantia conferre solet. (2) Voces, selectiores maximè ac ponderosiores; cum, juxta Cæsarem,*

farem, origo Eloquentiæ, delectus vocum fit. (3) *Propositiones & sententias*, non sine acumine & gravi iudiciõ prolatas: (4) *Argumenta* seu probandi media vera, aut verisimilia. (5) *Amplificationes & affectuum expressiones*. De quibus alibi uberius annotavimus. Conf. c. 1. 2. seqq. l. 2. Syn. Orat.

Sed propria magis prudentiæ quam eloquentiæ) Inventione Oratoriam privavit *Petrus Ramus*, soli quæ eam, sed præter fundamentum, vendicavit *Dialecticæ*. *M. Tullius* Inventionem & iudicium, propria prudentiæ magis, quam eloquentiæ constituens, in priori forsitan contradicentes habet. Non confundendum scilicet ingenium cum iudiciõ. Potestius prudentiæ debetur. Invenire res, ingenii potius, quam prudentiæ videtur. Sæpè qui ingeniosi sunt Poëtæ ac pictores, iudicio non nimium præpollent. Sicut autem intellectus aptitudo est ingenium, circa res recens inveniendas, eruendas, apprehendendasque; ita diviniõ illa intellectus virtus, iudicium existit, circa res ingenio erutas & apprehensas seligendi, examinandi diligenter, ac dijudicandi. Quam in rem acutè, ut solebat, *Scaliger*, *Julius ille Cæsar*, exerc. 256. de subtilit. Nam ut sit ingenium ad rerum inventionem: at ipsæ res aut præposterè, aut confusæ, aut falsâ specie sese offerunt intellectui:

Utrum
inventio
magis
propria
prudentiæ
est?

lectui: atq; ad perniciem multa, atq; ad salutem inveniuntur. Impositum est iudicium, tanquam Prætor quidam, ad inventorum propositionem. Quæ est, ut ita dicam, manforum veluti quædam ruminatio, ad coquenda consilia. In eligendo iudicium quæritur: ad definiendum, generis, speciei, differentiarum inventionem opus est.

AD CAP. VIII.

Argu-
mento-
rum Lo-
cos Topi-
cos Ora-
tor habe-
at in nu-
merato.

Noverit igitur Orator, quem summum esse volumus, argumentorum & rationum locos.) Post inventionem rerum, verborumq; ac sententiarum, præcipua ars est, argumenta omnium generum & eorum locos callere probe, & accommodare aptè. Qualis enim locus quisque, tale etiam argumentum. Notitiam verò locorum topicorum, tanquam è Logicis jam cognitam, Orator præsupponit, curatq; applicationem unicè. Ratiocinari, ergò priùs, quam rhetoricari, feliciter in hâc arte versaturum decet. Brevem & nervosam locorum omnium applicationem, quæ exempli vicem hîc præstare possit, exhibuit Cicero 2. de Orator. Copiosè aliàs hanc artem illustrârunt *Georg. Valla*, de expedit argumentandi ratione, *Rudolph. Agricola* de Inventionem, *Gerhard. Bucoldianus* de locorum usu
libris.

libris 3. *Valentinus Thilo* in Topolog. Orator. *Masenius* in palæstrâ Oratoriâ. &c. Ut prolixitate hîc supersedere liceat.

Discrepare licet) Legendum, disceptare.

Aristoteles adolescentes non ad Philosophorum morem, tenuiter differendi, sed ad copiam Rhetorum, in utramq; partem exercuit. Idemq; locos, quasi argumentorum notas tradidit, &c.)

Cicerone iudice, mollis est Oratio Philosophorum & umbratilis, nec sententiis, nec verbis instructa popularibus, nec juncta numeris, sed liberius soluta. Sermo potius quam Oratio dicitur. Quamquam enim omnis locutio, oratio est; tamen unius Oratoris locutio, hoc propriô signata nomine est. Vid. infra c. 19. *Aristoteles autem is* (ait idem *Tullius* 2. de Orat. 36.) *quem ego maxime admiror, proposuit quosdam locos, ex quibus omnis argumenti via non modò ad Philosophorum disputationem, sed etiam ad hanc, quâ in causis utimur, inveniretur.*

Non enim declamatorem aliquem de ludô, aut rabulam de foro querimus.) Solebant olim Rhetores, obscuri sæpè homines, apud quos adolescentuli totos desidebant dies, ut ficta declamarent themata; solebant & forenses rabulæ, leguleii & locutuleii illustre Oratoris nomen rapere in vanum sibiq; attribuere.

Oratio
Philosophorum
qualis ?

Rhetori-
demq;
Rabula
quantum
ab Orato-
re differ-
rat ?

Qvo

Quò de abusu, Autor Dialogi de causis corruptæ eloquentiæ, conqueritur, mox sub init: *Sapè ex me qveris Juste Fabi, cur cùm priora secula tot eminentium Oratorum ingeniis gloriâq; effloruerint, nostra potissimum ætas deserta & laude orbata, vix nomen ipsum Oratoris retineat? neq; enim ita appellamus, nisi antiquos: horum autem temporum disertis, causidici & advocati, & Patroni, & quidvis potius, quàm Oratores vocandi.* Idem infra c. 31. *Is est, inquit, Orator, qui de omni quæstione pulchrè & ornatè, & ad persuadendum aptè dicere, pro dignitate rerum, ad utilitatem temporum, cum voluptate audientium possit.* Hæc sibi veteres persuadebant. Ad hæc efficienda intelligebant opus esse. non ut Rhetorum scholis declamarent, nec ut fictis, nec ullò modò ad veritatem accedentibus controversiis linguam modò & vocem exercerent; sed ut his artibus implerent pectus, in quibus de bonis ac malis, de honestò ac turpi, de justò & injustò disputatur.

Argu-
menta va-
ria quo
docanda
ordine?

De firmissimis alia prima ponit, alia postrema, inculcabitq; leviora.) Quemadmodum in committendò præliò, qui fortissimi sunt milites occupare primas, & in hostem facere irruptionem solent; infirmioribus minùsq; hætenus exercitatis, in mediam conglobatis aciem; postea agmen cludentibus, qui fidei

con-

constantis, viututisq; probatae commilito-
nes extiterunt: ita pariter cum argumentis
feres habet. Totus videlicet in eô sit Ora-
tor, ut validissima probandi argumenta in
principiô, in mediô amplificantia ornantia-
que, in fine iterum stringentia moventiaq;
producantur.

AD CAP. IX.

C*Arneades noster*) Qvis, qvalis, & quan-
tus fuerit Carneades, *Pluarchus in Cato-*
ne refert. Legati Atheniensium venerunt
Romam, Carneades Academicus & Diogenes
Stoicus, deprecatum mulctam, quæ Atheni-
ensium populo quadringentorum talento-
rum à Sicyoniis erat dicta. Statim adole-
scendum studiosissimi, quique viros illos acces-
serunt, audientesq; eos in admiratione ha-
buerunt. Maximè autem Carneadis gratia
in dicendô, quâ valebat plurimum, & au-
ctoritas eloquentiâ non minor, magnos na-
cta & humanos auditores, venti instar urbem
personabat: & fama tenebat, Græcum vi-
rum, ad stuporem usq; ad percellendos de-
mulcendosq; hominum animos aptum, ve-
hementem apud juvenes amorem excitare;
quô correpti, omisissis voluptatibus reliquisq;
oblectationibus, furore velut quôdam fer-
rentur ad Philosophiam. Cato autem sta-
tim

Carnea-
des quis,
qvalis,
quantus ?

tim ab initiō ferebat agrè, sermonem eā de re cum admiratione hominum per civitatem spargi; veritus, ne applicato ad Philosophiam studiō, adolescentes inde potiùs, quàm agendis rebus & militiā, decus sibi quærere intenderent. *M. sanè Tullius Carneadi vim incredibilem dicendi & optandam Romanis tribuit varietatem: quippe qui nullam unquam rem in suis disputationibus defenderit, quam non probârit; nullam oppugnauerit, quam non everterit* 2. de Orator. 38. Idem lib. 2. quæst. Acad. cap. 6. *Carneades ait, (Charmidas, legunt quidam codices,) nonaginta vixit annos, &, qui illum audierant, admodum floruerunt.* Iterum alibi (2. scil. de Orator. 88.) Romanus Consul: Vidi summos homines, & divinâ propè memoriâ, Athenis Carneadem &c. Confer *Quintilian. 12. Institut. Orator. 1.*

Notatur
lectio
Lamb.

Carneadem autem) Ita cum vulgatis exemplaribus Lambinus, sed *Charmidam* legendum docuit *Victorius*, qui in suō vetere deprehendit *Charmidam*; consentit Palatinus codex.

Celeritas
orationis
nec facit
eloquentiam
nec

Flumen alius verborum volubilitasq; cordi est, qui ponunt in Orationis celeritate eloquentiam &c. respirationesq; delectant.) Cùm juxta *πολυρρηθωντων*, parum eloquentie, penes quos *eloquentia multum*, sit; id dandum sapienti
ope-

operam, ut neq; nimius sermonis, neq; egens tamen etiam existat. Quam in rem apprimè facit, quod de sermone Philosophi Neronianus Doctor, maximò iudiciò (Epist. 14.) perscripsit ad Lucilium suum: *Audisse te scribis, Serapionem Philosophum solere magnò concursu verba convolvere, quæ non effundit, sed premit & urget. Hoc non probo in Philosophò, cuius pronuntiatio, sicut vita, debet esse composita. Nihil autem ordinatum est, quod præcipitatur & properat. Æquè stillare sermonem nolo, quàm currere. Nec extendat aures, nec obruat. Nam illa quoq; inopia & exilitas minùs intentum auditorem habet, tædio interruptæ tarditatis. Faciliùs tamen incidit, quod expectatur, quàm quod prætervolat. Quomodo autem regere potest, quod regi non potest? Quid, quòd hæc oratio, quæ sanandis mentibus adhibetur, descendere in nos debet. Remedia non prosunt, nisi immorentur. Multum prætereà habet inanitatis & vani: plus sonat, quàm valet. Quis medicus egros in transcursu curat? nec voluptatem quidem ullam habet talis verborum sine delectu ruentium strepitus. Quid ergo? non aliquando & insurget: quidni? sed salvâ dignitate morum; quam violenta ista & nimia vis exurit. Habeat vires magnas, moderatâ tamen: perennis sit unda, non torrens.* Vix Oratori

Sermo
Philoso-
phi qualis
esse debe-
at.

C

per

permiserim talem dicendi velocitatem, irrevocabilem ac sine lege vadentem. Nam Q. Haterii cursum, suis temporibus Oratoris celeberrimi, longè abesse ab homine sanò volo. In Græcis hanc licentiam tuleris. Nos autem, cum scribimus, interpungere consuevimus. *Cicero quoque noster, à quò Romana eloquentiâ extitit gradarius fuit. Romanus sermo magis se circumspicit, & estimat, & præbet estimandum. Summa ergo summarum hæc erit: tardiloquum te esse jubeo. &c.* Hæc hæctenus Romanus sapiens. Cui summus eruditione *Cesar Scaliger* subscribit 2. Epidorpid. non longè ab initio istius libri:

Nec tardiloquum, nec celerem nec incitatum,

*Nec qui levis in cursibus, impotens tuis sis:
Volo te compositum: te jubeo dicere tractim.*

Auditor ut te audiat: audias te & ipse.

De Memoria.

An pertinet ad Oratoriam?

De memoriâ nihil est hoc locò dicendum, quæ communis est multarum artium.) An memoria pertineat ad Oratoriam? & an constituens Oratoris medium sit? quæri à non paucis solet. Ad primam sciendum questionem, memoriam animantibus cunctis, brutis etiam communem rem, omniumq; disciplinarum

rum esse. *Omnis* (inquit Fabius XI. Instit. Orator. 2.) *disciplina memoriâ constat; frustra docemur, si, quicquid audimus, præterfluat: & exemplorum, legum, responsorum dictorum, benèq; factorum, eadem illa vis representat.* Ut autem memoria vel naturalis est, vel artificialis; sic posterior hæc triplici considerari ratione potest: jam ut *usualis*, jam ut *imaginaria speciatim*, jam ut *diata beneficio parabilis*. In se spectata, & naturalis memoria, in quantum vis & facultas quædam, sensuumq; interiorum maximè ministra, & dos animæ ad conservandas rerum sensu cognitarum species excellens est, soli relinquenda pleniusq; exponenda Physico. Cæterum, si ut *habitus* consideretur, arte variisq; adminiculis perficiendus atq; conservandus, non minus peculiarem sedem aliquam, ac Logica, Rhetorica, Grammatica meretur. *Ratione usus specialis* autem nulli tam propria ac necessaria memoria, quàm Oratori. *Orator quippe est, qui de re omni copiosè ornatèq; dicere, & quò plura scire nemo debet; sic, ut penè solius Oratoris memoria esse videatur; inquit Dn. D. Dannhauerus, Proœm. tract. de memoriâ.* Reliqui omnes enim, si memoriâ res teneant, suis jam satisfecere partibus: Orator non res tantùm, sed verba præcisè omnia, & sententias memoriter tenere redde-

An con-
stituens
Orat me-
dium sit?

req; debet. Quam in rem plura alibi addu-
ximus l 5. Medull. Orator. c. 5. Quod ad
secundam questionem attinet, notandum, à
nonnullis memoriam inventioni, dispositio-
ni, elocutioni & actioni velut quintum medi-
um constituens ac requisitum Oratoriæ &
Oratoris superaddi. Nobis, quod cum pace
tamen dictum sit, videtur longè aliter. Se-
quitur enim verò constitutam, ornat, juvat
eloquentiam memoria; non constituit, non
essentiam largitur ei. Et ut potentia per se
cæca, non cognoscens, sed ministrans sensi-
bus internis, speciesq; custodiens receptas di-
citur à Physicis: ita principale agens & con-
stituens in arte Oratoriâ minimè evadit. De-
inde nulla Oratori necessaria, quæ nec con-
stitutiva persuasionis media, nec penitus à re-
liquis distincta sunt. Ad Actionem, cui ma-
ximè inservit, referri potest commodissimè.
Quoties enim memoriâ habemus opus, agi-
mus. Vides interim, memoriam, rem bruti
etiam communem, Oratori absolutè ne-
cessariam haut esse: qui, si in inveniendò, di-
sponendòq; & imprimis eloqvendò præstet,
à memoriâ destituatur tamen aliquando, no-
bile Oratoris nomen non amittit ideò.

Actio
pars prin-
ceps Orat.

AD CAPUT. X.

Actio est quasi corporis quædam eloquen-
tia, Ordine postrema quidem, sed prin-
ceps

ceps opere ac effectu pars, actio meretur salutari. Orationis vita, anima affectuum, sermonis robur est, sine quâ friget eloquentia & penè obmutescit. Itaq; & primas, & secundas & tertias jure illi tribuit Demosthenes; ut eam videri possit, non præcipuam, sed solam judicasse. Quintilianus mutis prosermone esse dixit. Confer sis, Medull. Orat. l. 5. c. 3. quæst. 1.

Constat è voce atq; motu.) Vulgò *actionem* & *pronunciationem* pro iisdem habent, ut Synonyma. Quintilianus ipse lib. 2 c. 3. distincta quidem actionis & pronunciationis nomina faretur; sic, ut posterius à voce, prius à gestu fuerit deductum; paullo post tamen, utraq; appellatione indifferenter uti licere, statuit. *Pronunciatio, sive Actio* (inquit Gerh. Job. Vossius Instit. 6. Orat. 6.) est *vo- cis corporisq; apta, pro rerum affectuumq; varietate conformatio.* Sed generalius quid agere, specialius pronunciare est. *Pronunciatio* oris atq; lingvæ opus. *Actio* reliquorum totius corporis membrorum, gestuumq; artificium. Videmus gestûs, non audimus. Audimus pronunciationem, non videmus. Ad externos mores magis moderatio membrorumq; actio spectat. & quàm diversa sint, ex separatis colligas. Quot enim illorum, exempli gratiâ, Concionatorum sunt, qui

Actio & pronunciatio an synonyma?

cum pronuntiatione nihil actionis edunt?
 Posse etiam *ἠὲ φῶς* illa in scenis *ᾠδῶν*
 cum spectantium applausu agere, quis verò
 nescit?

*Non sine causà Demosthenes tribuit & pri-
 mas, & secundas, & tertias actioni.*) Actio
 (ait alibi, 3. de Orator. 56. Romanus Consul:)
*in dicendo una dominatur. Sine hac summus
 Orator esse in numero nullo potest: mediocris
 hac instructus, summos sæpè superare. Huic
 primas dedisse Demosthenes dicitur, cum roga-
 retur, quid in dicendo esset primum? huic se-
 cundas, huic tertias. Nullam rem magis pene-
 trare in animos, eosq; fingere, formare, fle-
 ctare, talesq; Oratores facere videri; quales
 ipsi se videri volunt, diserta Ciceronis vox
 est, c. 38. de Claris Oratoribus in Brutò. Asco-
 nius Orationis vitam actionem appellavit;
 quod sine eâ orationis membra sint veluti e-
 mortua, sine sensu, sine motu. Vide porrò
 Isocrat. Orat. ad Philipp. & Dionys Halicarn.
 lib. de caractere Demosth. Ipse, cur ad tan-
 tum eloquentiæ fastigium adspiraverit, De-
 mosthenes, exercitationi maximè & actioni
 tribuit. Cum balbutie angustiâq; laboraret
 spiritûs, ut emendârit & naturam juverit O-
 rator disertissimus noster in Oratore lib. 1.
 c. 61. memorat; in Atheniensi Demosthene
 tantum studium fuisse, tantusq; labor dicitur,
 ut pri-*

Demosthenes
cultor.
exquisi-
tus Actio-
nis.

ut primùm impedimenta natura diligentia industriâq; superaret. Cumq; ita balbus esset, ut ejus ipsius artis, cui studeret, (Rhetoricæ) primam literam non posset dicere, perfecit meditando, ut nemo planius eô locutus putaretur. Deinde, cum spiritus ejus esset angustior, tantum continendâ anima in dicendô est assecutus, ut unâ continuatione verborum binæ ei contentiones vocis & remissiones continerentur. Quin etiam conjectis in os calculis, summâ voce versûs multos unô spiritu pronunciare consuecebat: neq; is consistens in locô, sed inambulans atq; ascensu ingrediens arduô.

Est in dicendo etiam quidam cantus obscurior) Naturam ducem ad voluptatem aurium Orationem seqvi oportere præsupponit Cicero. Primùm, quia varianda vox in sonos varios nunc intendi, nunc remitti, nunc modô aliô, ut placeat, temperari debet. Deinde, cum concentu musicô afficiantur mirificè animi ac demulceantur aures, inter ceteras insinuandi sese artes, non postremâ hanc reputavere veteres. Ac olim quidem corrigendæ voci Phonascos adhibebant, ex quorum præscriptô, inter media alia, liquidis utebantur medicamentis. Quare & vox ἀπλαστος Plutarcho eam notat, quæ non emendata modo est. Gracchus ad manum ha-

Cantus a
liquidis in
dicendo.

bere sibi servum cum eburneâ fistulâ solebat. Etsi verò fugienda modulatio inepta, & apertus ille cantus non ulli affectandus facilè videatur; obscuriorem tamen harmoniam aliquam non improbat omninò Cicero sub fin. 3. de Oratore, ubi plura.

Sonus variandus.

Ille princeps variabit & mutabit, omnes sonorum tum intendens, tum remittens, persequetur gradus.) De variando vocis sonò hæc Tullius sub fin. 3. de Oratore sæpiùs cit. libri. docet; *gradatim descendere vocem, utile & suave est. Nam à principio clamare, agreste quoddam est. Deinde est quoddam contentionis extremum: est item contrà quoddam in remissione gravissimum, quòq; tanquam sonorum gradibus descenditur. Hæc varietas, & hic per omnes sonos vocis cursus, & se tuebitur, & actioni afferet suavitatem. Fistulatores domi relinquetis, sensum hujus consuetudinis vobiscum ad forum deferetis. Ut nimirum Musicus.*

Ridetur, chordâ qui semper oberrat eadem;

Sic propter *μωροτομία* etiam Orator. Sed de moderandâ voce Fabius Quintilian. videatur XI. Instit. 3. ubi ex professò hæc de re ab eò actum.

Status Oratoris celsus & erectus esto.

Status erectus & celsus:) Inter civilia meritò habetur status rectus & erectus; qui nec abjectum, nec elatum nimis per *μετῴριον* argue-

arguere⁹ animum, nec obstipa latera tueri solet. In Oratore bono enim excellere civiliora quæq; debent.

Rarus incessus,) Solebant Oratorum veterum nonnulli, pro rostris etiam aut alibi, Peripateticorum more ambulare; quod nec laudandum, nec imitandum facile. *Flavius Virgilius* deambulans Orator ab adversario interrogatus falsè ac notatus simul est: *ecquod passuum millia declamitasset interim?* Fugienda igitur discursatio histrionica.

Nullæ argutiæ digitorum, non ad numerum articulus cadens) *Loqvaces & argutas manûs* Gellius post Ciceronem; *Cassiodorus* (l. 4. Epist. ultim.) *loqvacissimas easdem, & linguosos digitos* vocavit. Ut enim partes reliquæ loquentes adjuvant, sic ipsæ videntur loqui manus. Annon his poscimus? pollicemur? vocamus? dimittimus? minamur? supplicamus? abominamur? timemus? interrogamus? negamus? gaudium, tristitiam, dubitationem, confessionem, pœnitentiam, modum, copiam, numerum, tempus ostendimus? non eadem concitant? inhibent? supplicant? probant? admirantur? verecundantur? Vid. *Fabius* loco supra alleg.

Virili laterum flexione, brachij projectione in contentionibus, contractione in remissis.) Omnes animi motus subsequi debet gestus, (in-

C 5

qvãt

Orator in dicendo Peripateticum ne agat.

Loqvaces manus & argutiæ digitorum.

Laterum brachijq; motus qualis

qvit sub fin. 3. de Oratore Cicero,) non hic verba exprimens, scenicus, sed universam rem & sententiam, non demonstratione, sed significatione declarans, laterum inflexione hâc forti ac virili; non abs scena & histrionibus, sed ab armis, aut etiam à palæstrâ. Manus autem minus arguta, digitis subsequens verba, non exprimens: brachium procerius projectum, quasi quoddam telum Orationis: supplexio pedum in contentionibus aut incipiendis, aut finiendis.

Quid sit
ineptum
& vultuo-
sum esse?

Ne quid ineptum, aut vultuosum sit,) Vis utriusq; prædicati penetrans ac singularis; sic, ut nullâ arte aut commoditate Græci expresserint per æquivalentem inter suos vocem. Ex omnibus (ait Tullius 2. de Orator. cap. 4.) latinis verbis, hujus verbi vim vel maximam semper putavi. Quem etiam nos *ineptum* vocamus, is mihi videtur ab hâc nomen habere ductum, quòd non sit aptus, idq; in sermonis nostri consuetudine perlatè patet. *Nam qui aut tempus quid postulet, non videt, aut plura loquitur, aut se ostentat, aut eorum, quibus cum est, vel dignitatis vel commodi rationem non habet, aut deniq; in aliquò genere aut inconcinnus, aut multus est, is ineptus esse dicitur.* Hôc vitiô cumulata est eruditissima illa Græcorum natio. *Itaq; quòd vim hujus mali Græci non vident, ne nomen quidem ei viti-*
tio

tio imposuerunt. Ut enim quæras omnia quomodo Græci ineptum appellent, non reperies. Vultuosum autem quid sit propriè, non satisfeceris significationi nominis, si pro tristi & severo tantum explices. Nam ostentationem vultus & mutationem mimicam, ad animi affectus exprimendos, connotat. Ut enim vultus ad voluntatem aliàs refertur; sic solius hominis est, esse vultuosum: cum vultus ad animum, facies ad corpus spectet. Vid. Laur. Valla, 4. Eleg. 13. Audiendus iterum Orator noster ex l. de legibus 9. is, inquit, qui appellatur vultus, qui nullò in animante esse, præter hominem potest, indicat mores: cuius vim Græci norunt, nomen omninò non habent.

Oculorum est quædam magna moderatio. Nam ut imago est animi, vultus; sic indices oculi &c.) In oculis vis mira ad affectus exprimendos pariter ac concitandos sita est. Ab oculis non amor tantum, juxta Nasonis illud: *Comibus est oculis alliciendus amor*; sed odium, fascinatio, & id genus plura pendent. Oculis adscribere videtur causam averfandi ille.

*Non amo te, Volusi, nec possum dicere,
quare?*

Hoc tantum possum dicere; non amo te.

Adspectu fascinari homines & bruta, pervulgatum est. Virgilius (Eclog. 3. v. 104.) sanè conqueritur:

Nescio

Vis oculorum
incredibilis
ubiq;

*Nescio quis teneros oculus mihi fascinat
agnos.*

Memorabilis Samnitium responsio ista fuit, (apud Liv. 7.33, 17) cum interrogati, *quæ eos causa egisset in fugam? oculos sibi Romanorum ardere visos, vesanosq; vultus, & furentia ora: inde plus, quàm ex aliâ ullâ te, terroris ortum.* Et de *Ariis* in veteri Germaniâ Tacitus: *primos in omnibus præliis oculos vinci; memoravit.* Nihil tamen tanto aut lepore dici, aut iudicio excogitari de hoc argumento potest, quod non præstiterit ante clarum non Acad. Chiloniensis saltem, sed literati orbis nomen D. Daniel Georgius Morhofius in Vener. suarum libro, de *Cupidine Argo.*

AD CAP. XI

Grecè ab eloquendô ῥήτωρ, & latinè eloquens dictus est. Nominalis propè Græcos, non realis apud Latinos convenientia Rhetoris ac Oratoris est. Nos (inquit Valla 4. Elegant. 81.) *Rhetorem Professore Rhetoricæ vocamus, non Oratorem: mirorq; cur in hoc tam facili pervulgatôq; nomine exponendo Victorinus errarit.* Non ergò dicendum, (verba incomparabilis in re suâ Viri Joh. Sperlingii sunt medit. 3. ad Scaliger. de subtilit. effat. 3.) *Rhetorem & Oratorem differre ut ἄρτος & panem;*

Rhetoris
& Orato-
ris differ-
entia.

panem; ut *ἀνθρώπων ἄνθρωπος* & hominem. Plura in Oratore, quàm in Rhetore sunt. Et major longè ipsius dignitas, quàm hujus. Quamquam sæpè confundantur ab Autoribus, &c. Et ex M. Tullii hypothefibus discrimen inter Rhetorem & Oratorem ingens ostendemus: primò, sine multitudine audiente eloquens esse Orator nequit; 2. de Oratore, 83. Deinde, Oratoris est, non modò Dialecticis, Rhetoricis, & stylo instructum esse, sed omnes Philosophiæ, physicorum etiam ac juris Civilis notissimos habere locos; ceu in præfenti librò pluribus id docet Cicero.

Et sunt Oratoris duæ summæ laudes; una subtiliter disputandi ad docendum, altera graviter agendi ad permovendos audientium animos; secundum illa Oratorum inter Romanos maximi, c23. de Claris Oratoribus. Quæ omnia ad Rhetorem nequicquam necessaria.

AD CAP. XII.

ET Philosophi quidam ornatè locuti sunt, In laudes Senecæ Philosophi latisimus aperiretur nobis campus hîc, quem unum majestate suâ dignum Roma Sapientem aluit. Sive enim castissimam latinitatem, strictissimi sermonis genere, judiciò autem maximò gaudentem, sive reconditas ad vitam, ad mores, ad

Ex Philo-
sophis or-
natus stu-
diosi quæ-
nam?

Omnibus
præfertur
Seneca.

Judicium
de Theo-
phraſto.

ad naturæ penetralia doctrinas utiles, &, ut unô nomine complectar, sapientiam quis æstimet desideretvè, omniû instar Philosophorum inter Latinos utilissimorum, erit *Lucius Annaeus* hic. Adderemus & C. Plinium Cæcilium Secundum, naturalis Philosophiæ ac Historiæ tersissimum scriptorem; *Apulejum* quoq; Madaurensem, aliosq; citaremus; nisi solus in exemplum valiturus esset optimus pessimi discipuli Neronis doctor.

Et Theophrastus divinitate loquendi nomen invenit.) Floruit dignissimus Aristotele auditor, Olympiad. 115. Athenis, Ereso in insula Lesbo urbe oriundus. Cum ante ipsi Tyr-tamo nomen esset, ob divinam elocutionem *Theophrastus* dictus. Nam in *Theophrasto* (verba sunt *Quintiliani* l. X. Instit. i.) tam est eloquendi nitor ille divinus, ut ex eô nomen quoq; traxisse dicatur. *Elegantissimus Philosophorum omnium & eruditissimus* audivit, l. 5. Tuscul. quæst. 9. Ciceroni. Scripsit, eôdem teste, plurima de *dicendi arte, de stirpibus & terrâ nascentibus, de beatâ vitâ, de divitiis,* & sic porrò aliis. A. Gelliô judice (lib. 13, noct. Attic. c. 5. *Theophrastus suavitate insigni lingvæ pariter ac vitæ fuit.* Sed vide in vitis *Diogen. Laërt.* l. 5. ubi inter multa de eôdem memorat, alia volumina trecenta edita.

Et

Et Aristoteles Isocratem laceſſivit,) Cum de hōc unō tot paſſim extent monumenta teſtimoniorum, præſtat ſilere nunc, quàm pauca dicere.

Xenophontis voce Muſas quaſi locutas ferunt:) De Stylo Xenophontis ſuprà actum. Mollis eſt oratio Philoſophorum & umbratilis, nec ſententiis, nec verbis inſtructa popularibus, nec juncta numeris, ſed ſoluta liberiùs. Itaq; ſermo potiùs, quàm Oratio dicitur.) De ſermone, verbis, ac Stylo Philoſophi quandoquidem agendum hīc, ut diſtinctè ſenſa exponamus, paucis rem includemus Aphoriſmis.

De ſermone
Philoſophico.

Primus eſt: Ab Oratione Oratoris ſermo Philoſophicus omninò differt. Docendi nempe finem Philoſophus intendit unicè, & veritatis quidem cauſā breviter; ſecurus de ornatu, perſuaſione, & affectuum ab Oratore exprimendorum concitatione. Nullis gaudet luminibus dicendi, digreſſionibus, amplificationibusq; nullis utitur. In pectore ſapientiam Philoſophus, Orator in ore pariter & pectore eandem fovet. Non verſamur (ait Jul. Cæſ. Scaliger Exerc. i. de ſubtil. ſ. i.) in forō, aut Romanò comitiò: ſed in comuni theatrosapientum, ſub oculis veritatis: cujus ſupellectilem atq; apparatus non tam nitidum, quàm opulentum eſſe decet. Plurima hanc

Aphoriſmus i.

hanc in rem Picus *Mirandulanus* ille Comes ;
Viximus celebres, inquit, & posthàc vivemus,
 non in scholis Grammaticorum atq; pedagogiis,
 sed in Philosophorum coronis, in conventibus
 sapientum, ubi non de matre *Andromaches*,
 non de *Niobes* filiis, & id genus nugis levibus,
 sed de humanarum divinarumq; rerum rationi-
 bus agitur & disputatur. Hæc & multa alia
 id genus *Mirandula*. Sed ne quid nimis;
 consistendum in mediò, dicendumq; : (2) Sa-
 pientiam non respuere perfectionem lingvæ; ut
 intellectus adeò ac sermo quàm amicissimè
 conspirent ad ornatum. Non minus pro-
 pria rebus elegantia, quàm vocibus. Ver-
 borum nitor necquicquam veritati rerum of-
 ficat: commendat potiùs, & gratiam illis con-
 ciliat majorem. Multò elegantissimè de præ-
 senti institutò optimus *Sperlingius* *Medit. 2. in*
Scalig. de subtilit. eff. 2. Movent nos res, ait,
 & *alliciunt*: sed & in verbis occultum quid est,
 trahens animos rapiensq;. Interest plurimum,
 an dicas concitatè, an moderatè: an graviter,
 an urbanè: an magnificè, an subtiliter. Hor-
 rida Philosophia est, in quâ nihil præter enti-
 tates, formalitates, perseitates, hæceitates,
 præceptoreitates & discipuleitates audias.
 Itaq; tertio, penes barbaros nec est, nec fuit jus
 & norma loqvendi. A barbarie autem ipsi bar-
 bari Scholastici, tot barbarorum nominum
 ver-

Apho-
rism. 2.

Apho-
rism. 3.

verborumq; monstra petivere, e. g. qualifica-
tionem, accidentalitatem, improporciona-
bilitatem, specificabilitatem, aptitudinaliter,
& quis fando ista omnia enumeret? quorum
in *Prisciano* vapulante segetem adduxit casti-
gavitq; *Frischlinus*. Ultra Caucasum horren-
dum & ad barbaros Garamantasq; horribilia
hæc releganda sunt.

*Quamquam omnis locutio oratio est, tamen
unius Oratoris locutio, hoc proprio signata no-
mine est.*) Non vulgari tantum, sed Logicò e-
tiam significatu, Orationis venit nomine. e-
nuntiatio & locutio, propriè & simpliciter
accepta. Quando tamen oris & lingvæ arti-
ficiam Oratori commendatum maximè; sit
ideò, ut hic κατ' ἐξοχήν orare, perorare atq;
dicere perhibeatur.

Oratio Oratoris.

*Sophistarum magis distingvenda similitudo
videtur, &c.*) Ut nimirum verificatores Poë-
tis; verbosi clamosiq; Logodædali Oratori-
bus; Rabulæ forenses ICTis; circumforanei
Medicis se commiscere sæpè solent; sic idem
inter Sapientes ausi sunt Sophistæ, juxta Ari-
stotelis lib. 10. Ethic cap. extremò, testimo-
nium. Quostamen Plato, acris eorum ca-
stigator, homines perverfos & ineptos dam-
nat, improbitatis ac inscitia ubivis ipsos reos
peragens: quòd spectra solùm & præstigias
pro veris solidisq; rebus obtrudere solerent

De Sophi-
stis.

D impe-

imperitis. Fatendum interim est, *σοφιστῶν* primâ sui origine ac significatione boni sensus vocem extitisse. Quam in rem notatu digna refert lib. 10. Lektion. antiqv. c. 17. *Rhodiginus*: primum Protagoram oratione mercenariâ docentem, Sophistam cognominatum accepimus. *Hoc verò nomine dixerunt veteres, ut Græci scribunt, non modò Oratores persignes, & summâ dicendi copiâ perillustres; sed & Philosophos quosq; dictione non usq; quaq; infantes.* Nam & Plutarchus autor est, sapientes à nonnullis etiam Sophistas nuncupari. Sicut & Apophthegma testatur illud; *μισῶ σοφιστῶν, ὅτι οὐκ αὐτῶ σοφός.* Odi sapientem, qui sibi sapiat nihil. Et Aristarchus, Theodectæ pater, olim vix septem fuisse Sophistas pronunciavit; mox tantam eorum scaturisse multitudinem, ut pullatam exsuperarent turbam. Sophistarum tamen artem, perinde ac in patrem, ad Gorgiam referimus. Sophistices verò, quæ secunda dicitur, Principem ferunt Æschinem. Nostri (ait porrò *Ludovicus Cælius*) sic distinguunt, ut *Rhetor sit, qui docet literas, atq; artis traditor est eloquentiæ. Sophista verò, apud quem dicendi exercitium discitur. Orator, qui in causis privatis & publicis plenâ & perfectâ utitur eloquentiâ.* Plato autem sophistas ubiq; omnia profitentes inducit jactabundos, gloriosos, temerarios insuper & avaros, nec illibatæ
 pror-

prorsus vitæ. Hosce Plato, quamvis omnia profiterentur, nihil omninò scire convincit, ut maleficos item insectatur & veneficos. Sophistas verò intelligit, qui opinionem modò affectent, opinionis causâ & amore. Hos item amariùs incessens Seneca: *Illos mihi, inquit, circulatores Sophistas, qui Philosophiam honestius neglexissent, quam vendunt, in faciem ingeret &c.* Et hæc de Sophistis hæctenus.

Historia finitima est, in quâ & narratur ornatè, & regio sæpè aut pugna describitur; interponuntur etiam conciones & hortationes, &c. Naturam historiae ac ejusdem leges Gerb. Joh. Voss. in Arte historicâ disertissimè omnium exposuit, quem cap. 9. & 10. imprimis vides. Cicero 2. de Oratore c. 15. *quis nescit, inquit, primâ esse Historia legem, ne quid falsi dicere audeat. Deinde, ne quid verè non audeat? ne quæ suspicio gratiæ sit in scribendo; ne quæ simultatis.* Breviter, sed accuratè per illustres Ludovicus Henricus Lomenius, Brienne Comes, Regi Christianiss. Ludovico XIV. à consiliis, & epistolis, ad Benjaminum Priolum: *Crede, mi Priole, (scribit) historiam aptè scribere, rara laus est, & quòd facta dictis exequanda sunt, & ex eò, quòd, quæ aliis artibus ferè singula proponuntur, ea historia legitime ferè universa. Historicus non implevisse munus suum videtur, nisi ad delectationem ut*

Natura
Historiæ
ac animæ,
quæ?

*Poëta, ad fidem ut Orator, ad mores, ut Philo-
sophus dicat.*

Diſt'o
Histor. &
Orat. an,
& quo-
modo
differat?

*Ab his non multò ſecùs, quàm à Poëtis, hæc
eloquentia, quam querimus, ſevocanda eſt.)
Diſtinctam à Rhetoricâ & Oratoriâ eſſe Hi-
ſtoriam, ac ſimul dictionem ejus, fruſtrâ ne-
gaverat *Franciſcus Robortelius* Diſſertat. de fa-
cult. hiſtor. quam ad *JCtum Lælium Taurel-
lum* ſcripſit, ut & *Thomas Corraeus* l. i. de elo-
quentiâ cap. ult. *Historia enim* (inquit loc. al-
leg. *Vossius* p. ii. cap. 3.) *quâ talis, nec laudat
nec vituperat: imò nihil vitioſius, quàm ex hi-
ſtoriâ facere encomium aut vituperationem.
Historia ſcil. nec plus, nec minus,* (ait, idem c. 9.)
debet dicere, quàm in re eſt. In quò ab Ora-
tore etiam diſtingvi ſolet. Nam amplificatio
inter præcipua Oratoris instrumenta nu-
meratur; cujus beneficiò pro re natâ, unum
idemq; vel auget, vel minuit. Longè aliter
cum hiſtoriâ comparatum eſt, quæ imago eſt
veritatis, eòq; rem non amplificat, ſed æquat.
*Sed dicat tamen aliquis; hiſtoriæ partem ali-
quam ad Oratoriam, aliam ad Poëticam, per-
tinere: ac propterea minimè eſſe diſtinctam à
duabus illis diſciplinam.* Sententia hæc (ait
iterum *Vossius* c. 3. de Arte Hiſtor.) *ut multos
patronos habet; ita etiam ſubnixæ eſſe vide-
tur ingenti tibicine, Caſare Scaligerò in libb. de
cauſſ. L. L. ubi l. i. inter alia ſic: accidit Hiſto-
ria**

ria postea ornatus ab Oratore, & numerus à Poëta. Nam Historia parum ab utrôq; differt, sed ex utrôq; potius mixta est. Vide tamen quid ad hæc & alia responderit doctissimus artis historicæ interpret cit. locô. Faciunt hûc illa *Fab. Quintil. ex lib. 10. Instit. Orat. c. 1. Historia alere orationem quôdam molli jucundôq; succô potest: verum & ipsa sic est legenda, ut sciamus, plerasq; ejus virtutes Oratori esse vitandas. Est enim proxima Poëtis, & quodammodò carmen solutum, & scribitur ad narrandum, non ad probandum; totumq; opus, non ad actum rei pugnamq; presentem, sed ad memoriam posteritatis, & ingenii famam componitur; ideôq; & verbis remotioribus, & liberioribus figuris narrandi tædium evitat. Plura vide apud ipsum. Accuratè Cicero de distinctô Historici ac Oratoris charactere egit 2. de Orat. 15. Ipsa (sermonis s. styli) edificatio posita est in rebus ac verbis. Rerum ratio ordinem temporum desiderat, regionum descriptionem: vult etiam, quoniam in rebus magnis memoriâq; dignis consilia primùm, dein acta, postea eventus expectantur, & de consiliis significari, quid scriptor probet, & in rebus gestis declarari, non solùm quid actum, aut dictum sit, sed etiam quomodò? & cùm de eventu dicatur, ut causæ explicentur omnes vel casûs, vel sapientiæ, vel temeritatis:*

tatis : hominumq; ipsorum non solum res gestæ , sed etiam , cum famâ & nomine excellent, de cuiusq; vitâ atq; naturâ. Verborum autem ratio & genus Orationis fufum atq; tractum & cum lenitate quâdam æqvabili profluens , sine hâc judiciali asperitate , & sine sententiarum forensium aculeis perfequendum est. Harum tot tantarumq; rerum videtisnè nulla esse præcepta , quæ in artibus Rhetorum requirantur? *Hæc Tullius* , de differentiâ Historiæ ac Oratoriæ , quæ res pariter & verba. Placet rotundo differentem ore *Plinium* adhuc sistere. Sic ille lib. 5. epist. 8. *Habet quidem Oratio & Historia multa communia , sed plura diversa in his ipsis , quæ communia videntur. Narrat sanè ipsa ; narrat hæc ; sed aliter. Huic pleraq; humilia & sordida , & ex medio petita ; illi omnia recondita , splendida , excelsa conveniunt. Hanc sapius ossa , muscoli , nervi ; illam tori quidam , & quasi iube decent. Hæc vel maximè vi , amaritudine , instantia ; illa tractu & suavitate , atq; etiam dulcedine , placet. Postremò alia verba , alius sonus , alia constructio.*

Dictio
Poëtica
ut differat
ab Orato-
ria ?

Etiam Poëtæ quæstionem attulerunt , quidnam esset illud , quò ipsi differrent ab Oratoribus ? numero maximè videbantur antea & versu. Ego autem in eâ (Poëtæ voce) licentiam statuo majorem esse quàm in nobis faciendorum

dorum jungendorumq; verborum &c.) Quibus modis maximè ab Oratoris dictione differat Poëtica? si quæras, respondemus: (I) *Li-centiâ*. Poësin appellârunt, (inquit *Scaliger* l. i. de re Poëtica c. 1.) quòd redderet non solum res ipsas, quæ essent, verùm etiam, quæ non essent, quasi essent, & quomodò esse vel possent, vel deberent, repræsenteret. Enimverò quodlibet audendi semper fuit æqua potestas. (II) *Troporum atq; figurarum frequentiâ*. Pictorum enim instar colores amant, ut delectent: quòd etsi cum Oratoribus commune habeant, proprium sibi tamen nimiam luxurie fecerunt. (III) *Numerò*, qui ab Oratoriò illò multis differt modis. Et (1.) quidem *libertate*, quæ major competit Oratori, propter solutam videlicet Orationem; sed propter ligatam, suis circumscripta terminis Poëtæ. (2) *Notitiâ*, latere numerus Oratoris, ut argumenta ejus quoque; sed manifestus Poëtarum esse debet. (3) *Inæqualitate*. Poëticus æqualiter & ubiq; observatur: Oratoris parùm in mediò, magis in principiis, maximè in clausulis curatur ac attenditur. Præterea sui semper similis Poëticus: Oratorium autem dissimilem sui esse, convenit. (4) *Quantitate pedum*: nullus Poëtarum pes ternarium syllabarum numerum excedit: Oratores quatuor & quinque syllabis utuntur etiam. (5)

Imperfectio: perfectior enim numero Oratorio Poeticus. Idcirco & *Quintilianus*, ut exemplum differt ab inductione: & à syllogismo enthymema; ita rhythmum à metro statuit diversum. (6) *Difficultate*: etsi enim majorem libertatem pariter, & imperfectio- nem habere numerus Oratorius videatur, non præter rem tamen difficilior existimatur à *Quintiliano*, qui sic: (6. instit. Orat. 4.) *Ratio pedum in Oratione est multò, quàm in versu difficilior. Primum, quòd versus paucis continetur, oratio longiores habet sæpè circuitus. Deinde, quòd versus semper similis sibi est, & unâ ratione decurrit; orationis compositio, nisi varia est, & similitudine offendit, & affectatione deprehenditur.* (IV) *Fine proximo*; qui Oratoris est, persuadere, facereq; fidem: Poëtæ autem delectare ac prodesse. Id quod *Horatius* rectissimè expressit eò versu:

*Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci.
Ut tota Poëseos vis ideò (secundum verba Scaligeri l. 3. de re Poëtica cap. 25.) duobus capitibus absolvatur, docendo & delectando. cùm prisci Oratores id agerent modò, ut moverent: Poëtæ verò, ut delectarent tantum, &c. (V.) Metro, quod abesse nec affectari ab Oratore debet; sic, ut eatenus reprehendatur etiam, cum velut aliud agendo nec
volens*

volens lubensq; verſum orationi ſolutæ in-
termiſcet. Confer omninò *Voffium* 4. Inſtit.
Orator. l. p. 435. ac *Caff. Barth.* 16. Adverf.
c. 14.

AD CAP. XIII.

Erit igitur eloquens is, qui in foro cauſisq;
civilibus ita dicet, ut probet, ut delectet, ut
fleat :) Officium Oratoris triplex eſſe, con-
ſtat. Primum pluribus commune, uti doce-
at ac probet. Alterum diviſum cum Poëta,
ut delectet. Tertium ſoli Oratori proprium,
ut moveat. Propter neceſſitatem docet;
quando exponit, probat, amplificat. Pro-
pter ſvavitatem, ut placeat, delectat rebus ac
hitoriis jucundis, raris, diſpoſitis concinnè,
& appoſitè adductis; ſtylo eleganti, pro-
nunciatione dulci ac decenti actione.

Officium
Oratoris
triplex.

Movet, propter aſſenſum & victoriam, per
fermonem gravem, penetrantem, per figuras
eò facientes, perq; geſtus & externa rerum ſi-
gna.

*Nam id unum ex omnibus ad obtinendas
cauſas poteſt plurimum.)* Cùm ab affectibus
magis, quàm à ratione hominum pleriq; equi-
dem regantur; tùm incumbit in id maximè
Orator, ut, ſi rationem vincere non poſſit
ſemper, affectibus jam concitandis, jam leni-

Artificiũ
affectus
commo-
vendi
quanti æ-
ſtiman-
dum ſ.

D 5

dis

dis iterum inserviat. Regnum eloquentiæ hoc artificio absolvi, vel inde clarum esse, ait *Vossius* (2. Partit. Orat. 1.) quòd vim animis afficere per affectus soleat Orator. *Nihil mihi quicquam præstabilius videtur* (Tulliana verba sunt ex 1. Orat. 9.) *quàm posse dicendo tenere catus hominum, mentes allicere, impellere voluntates, quò velit: unde autem velit, deducere.* Hæc una res in omni libero populo, maximeq; in pacatis tranquillisque civitatibus præcipuè semper floruit, semperq; dominata est.

Genera
dicendi
atq; Cha-
racteres 3.

Quor officia Oratoris, tot sunt genera dicendi:) Per dicendi genera intelligit hîc styli characterem triplicem; quò de egit ex professo *Scaliger* in arte Poët. l. 4. c. 1. Horum primus in probando docendoq; tenuis; in delectando alter mediocris; tertius in movendo gravis, penetrans ac validus. Is videlicet censendus eloquens, qui & humilia subtiliter, & magna graviter, & mediocria temperatè potest dicere, ac in omnibus dicendi characteribus excellit. Talis inter Græcos æquidem egregius *Homerus*, inter Romanos *Cicero* sistendus in exemplum.

Tempe-
ramen-
tum pru-
dentia in
hac arte.

Magni igitur iudicii, summa etiam facultatis esse debet moderator ille, & quasi temperator hujus tripartite veritatis:) Non abs re *Fabius*, (vel quisquis auctor est *Dialogi de*

COR-

corruptæ Eloquentiæ causis apud Tacitum) cap. X. edixit: *Ego verò omnem Eloquentiam omnesq; ejus partes sacras venerabilesq; puto: & quamcunq; aliam speciem Eloquentia habeat, anteponendam ceteris aliarum artium studiis credo.* Limatissimò judiciò nimirum, atq; inexhaustâ differendi scribendiq; copiâ opus est, accommodatè, prout argumenti, temporis, lociqve & imprimis Auditorum ratio ac dignitas exposcit, dicere. Hòc qui rectè uti temperamentò potest, vulgarem captum supergreditur Orator.

AD CAP. XIV.

Ut in vitâ, sic in oratione nihil est difficilius, quàm, quid deceat, videre) τὸ πρέπον seu decorum si à quoquam alio, ab Oratore maximè meretur observari. Quid huic, quid alii, aut loco, aut tempori, aut coetui, aut argumento etiam conveniat, accuratissimâ provisione circumspiciendum. Qui enim, quod aut postulat tempus (secundum illa Tullii) non videt, aut plura loquitur, aut se ostentat, aut etiam, cum quibus est, dignitatis vel commodi non habet rationem, aut deniqve in aliquo genere inconcinnus, aut multus est, is ineptus dicitur.

τὸ πρέπον ubi-
libet Ora-
tor obser-
vabit.

Etiam in
verbis.

Est autem, quid deceat, Oratori videndum non in sententiis solum, sed etiam in verbis:) Ne in rebus saltem adhibendum πρέπον esse putes, in verbis etiam opus est. Origo quippe
Elo-

Eloquentia, secundum Cæsaris dictionem) *delectus vocum*. Rebus nimirum gravibus non levia respondent verba; humilioribus non competunt magnifica. Quemadmodum nec infanti Herculis cothurnos adaptare decet. Vid. Arist. 3. Rhetor. 9.

Qualis Auditor, talis sermo Oratoris esse debet.

Auctores aliquot, qui de cognoscendis hominum ingenii ac moribus scripserunt.

Non omnis fortuna, non omnis honor non omnis ætas aut auditor omnis, eodem aut verborum genere tractandus est, aut sententiarum) Morum, fortunæ, & ætatis accurata, propter persuadendum ratio habenda. Aliis nimirum expugnatur modis ætas junior, ad concupiscendum vehementer prona: aliis ætas media & virilis occupatur, aliisq; itidem senilis. De quâ arte Aristoteles disertè 2. Rhetoricor. c. 12. 13. 14. & seqq. ac in eundem *Augustinus Niphus*, nec non *Camillus Baldus*. Plurimum nimirum refert, indolem ac mores ætatum, ordinum populorumq; accuratè nosse Oratorem. Idq; argumenti genus post *Barclajum* in *Icone animorum*, sine exemplo pertractavit libris ipsis decem *de conjectandis cujusq; moribus & latitantibus animi affectibus*, volumine prolixiori, *Scipio Claramontius*, Eques Cæsenas. Recensitus summi Viri operâ *Conringii* insignis labor ille Anno 1665. & *Helmstadii* recusatus, quantum laudis mereatur, ex præfatione ejus disces. Illustre ejus rei apud *Curtium* de *Alex. Magno* Hist. Lib. 3. c. 10. exem-

exemplum memoratur : dum Oratione variâ, ut cujusq; animis aptum erat, milites alloquebatur. Macedones, tot bellorum in Europâ victores, ad subigendam Asiam atq; ultima Orientis, inveteratæ virtutis admonebantur. Cùm Græcos ceteros adiret, ab iis gentibus (Persis videlicet) illata Græciæ bella, Darii prius, deinde Xerxis insolentiâ. Illyrios & Thracas, rapto vivere assuetos, aciem hostium, aurô purpurâq; fulgentem jubebat intueri. Conf. & Justin. lib. XI. histor.

Quàm enim indecorum est, de stillicidiis, cum apud judicem dicas, amplissimis verbis, & locis uti communibus : de Majestate populi Romani submissè & subtiliter ? Non peccat minus, qui de rebus minimis dicturus *projicit ampullas & sesquipedalia verba*, juxtâ Flaccum; quàm qui de grandibus ac gravibus humiliter abjectèq; dicit. De opinione & cultello apud celeberrimam panegyrim, magno verborum apparatu perorare, quid est aliud, quàm illudere auditori? tempore item atq; otio abuti? Non Vir bonus tantùm, sed & sapiens & gravis est Orator. Non thema vile igitur aut ludicrum tractare seriò, sed nec augustum leviter tenuiterq; tangere idem debet. *Quis nunc ferat Oratorem* (verba sunt ap. Tacit. Autoris de corruptæ Eloqv. causis c. 20.) *de infirmitate valetudinis sue presan-tem?*

Talis sic
Oratio,
quale est
objectū.

tem? qualia sunt ferè principia Comici. Quis quinque in Verrem libros expectaverit? quis de exceptione & formulâ perpetietur illa immensa volumina, quæ pro M. Tullio, aut A. Cæcina legimus?

Tò quatenus in dicendo.

In omnibus rebus videndum est quatenus.)
Etiam in optimis rō nimium degenerat in vitium. Observa igitur, quid scopus, quid locus, quid tempus, quid persona, quid occasio exigat aut ferat? offendere tamen magis nimium, quàm parum, certò statue.

AD CAP. XV.

Junctura
vorum
generalis.

Habet ille tanquam hiatus concursu vocalium molle quoddam) Non est exigua juncturæ ratio habenda in Oratione. Illius gratiâ notandæ regulæ seqq. (1.) *Vitanda litera e- jusdam soni syllabæq;* (nisi propter figuram fiat) *crebra repetitio.* Durum quippe & infavere saperet v. c. via angusta atq; quæsita anxie erat. (2) *Fugienda voces, quæ vocalium immediatè consequentium juncturam augent.* Ita nempe Ennius.

Olli respondet Rex Albai longai.

Gallorum igitur, svavitatis in dicendo amantissimorum consuetudo est, eliminare per apostrophos, aut reticere tot vocales.

Quæ-

Quaedam etiam negligentia est diligens.) Nec sine sale hæc sententia, nec ejus ratio absurda. Nam & mulieres esse dicuntur nonnulla inornatæ, quas id ipsum deceat. Fit nempe aliquid, si non appareat. Ut in vitâ odiosa ferè omnis ostentatio; sic etiam in stylo malè audit. Ut ingenuus ac nativus color virginem commendat, quæ sitis verò arte curiosâ fucus dehonestat; sic cum Oratione sæpiùs videtur comparatum. Calamistrare sua nimium qui student, enervant. Hanc sermonis decentiam, hanc ornatus non quæsitæ affectationem qui calluerit, & ipse scripturus decenter est, & in aliis verè judicabit, quid non sit ineptire. Quò quidem vitio laborare *Apulejum* præter alia innumera, hic solus indicabit locus l. 3. *Metamorph. Commodum puni-*
cantibus phaleris aurora roseum quatiens la-
certum, cælum inequitabat & me secura requie-
ti revulsum nox diei reddidit &c. Meccenatem in simili hæsisse lutò, vel hæc apud *Senecam* Epist. II4. comprobare verba possunt: *quid si*
quis femine cirro crispata & labris columba-
tur. Item *Genuum festo vix suo testem, te-*
nuis cerei fila & crepacem molam focum mater
aut uxor investiunt. &c. quæ verba tam improbè conjuncta, tam contra morem posita ostendunt seculi jam tum corrupti mores malè sanos. Et utinam non nimium expoliisset
 ultra

Negli-
 gentia di-
 ligens in-
 terdum
 laudatur.

ultra limites Historici, historiæ Romanæ accuratum aliàs compendium, Oratoriô Politicòq; stylo suo Florus.

Sermo
purus e-
sto & La-
tinus.

Sermo purus erit & Latinus.) Cùm non ratione modò, sed etiam Oratione præcellamus animantibus brutis, operam nos dare oportet, ne sermo noster vel cascus sit & obsoletus, vel peregrinus atq; barbarus; sed talis, quem Romani agnoscunt. Ad hanc materiam confer sis omnino Voss. in Instit. Orator. l. 4. c. 1. alibiq; in præfatione ad Lector. oper. de vitiis sermonis præmissâ.

Sed &
perspicu-
us.

Dilucidè planèq; dicetur.) Princeps Orationis virtus, perspicuitas. Adeò, ut præstet, ornatis gloriâ quàm perspicuitatis eequidem destitui. Publicum attendit magis perspicuitas ac iuvat; ornatus verò affectatus nescio quid laudis atq; ostentationis sæpiùs admistum habet. Vid. l. 4. c. 4. Medull. nostr. Orator.

Sententiæ
acutæ
sunt.

Acute crebraq; sententiæ ponentur, & nescio unde ex abdito eruta.) Quantam Oratori admirationem acumina concilient, testimonio esse illud Ciceronis ex 2. de Orat. 57. potest, quò *primam in Oratione dignitatem tribuit acumini.* Quid enim est aliud acuta propositio, quàm telum aliquod, quò auditoris animum ferimus & percellimus? ingenium admirationis pronubam existere, quis verò

verò nescit? ingeniorum verò testis & effectus est acumen. In his inveniendis observanda duo sunt præcipuè, (I) *absurditas apparens*, (II) *subtilitas sub eâ latens*. Connexio ex subjecti atq; prædicati acutâ quidem, sed discordi harmoniâ pendet. Quò enim fortior partium oppositio, hoc ingeniosius acumen. Hinc & ὀξύρρογος acutifatum & μωροσσοφον, quasi fronte fatuum, acutum caudâ nominatur. Sed de hoc argumento egimus prolixius alibi.

Ille tenuis Orator modò sit elegans, nec in faciendis verbis erit audax) Philologi omnis & imprimis Oratoris, etiam è tenuiori illâ forte est, studere elegantia, nec in faciendis excogitandisque novis verbis existere audacem. Philologiae munus proprium nimirum, exornare vindicareq; à barbarismis atq; solcismis Lingvarum. Ἀπαιδευσία magnam igitur & inexcusabilem committunt, qui neglectâ elegantia aut periphrasi decente, tam audaces, tam procaces in faciendis novis vocibus se exhibent. Non licet Philologo, quod tolerari potest in Philosopho, Medico, Icto, Theologo. Ad barbaros hæc relegemus barbara: *discipuleitatem coloreitatem, albedineitatem* & infamia illa monstra; lusu puerili magis, quam ratione utili conficta temerè.

Orator elegans in verbis & circumspectus.

**Ars late-
at.**

Ne elaborata concinnitas & quoddam ancipitium delectationis manifestò deprehensum appareat) Occultandum styli artificium, non ostentandum. Rationes graves sunt & plures hujus moniti. Primò jactantia odiosa omnis. Deinde nimia, optima quantumvis, evilescunt. Jam si auribus, non animis infidias ab arte strui homines advertunt facile, tantò sibi minùs persuaderi patiuntur. Sufficit, si sapientem sapiens agnoscat atq; admiretur.

**Actio ne
sit sceni-
ca.**

Accedat actio non tragica, nec scenica; sed modicà jactatione corporis, vultu tamen multa conficiens &c.) Scenicos & justo artificiosiores gestus illos fugiat Orator bonus; potissimum Ecclesiasticus. *Nunquam svaserim*, ait Cicero, *studiosis dicendi adolescentibus, in gestu discendo elaborare, histrionum more.* Summus certè Oratorum olim Hortensius hoc nomine reprehensus à Romanis est; *Dionysia gesticulatoria* à saltatricula notissimà vocatus idè; ut refert *Gellius* I. noct. Att. 5. Pantomimos potiùs ac histriones, quam Oratores complosio manuum, percussio femorum, pedum supplosio & discursitatio decet. Hinc à Flavio Virginio interrogatus falsè aliquando adversarius, quòd dicendo peripateticum ageret, ecquòt passuum millia interim declamitasset?

Ad sper-

Adspurgentur etiam sales, qui in dicendo nimium, quantum valent: quorum duo genera sunt, unum facetiarum, alterum dicacitatis.)

Quod sine sale cibus; id sine leporibus & urbanitate sermo. Hic, hic conditus sale sapientiae ac suavitatis esse debet: ne vel in morsum abeat, aut in loqvacitatem nimiam. Huc dicta pariter & facta festiviora referenda. Hic gaudium & risus habitant. Haec quamvis jocularia videri possint, urbanos tamen mores formant, delectant, & nonnullam eruditionis suppellectilem ministrant. His maxime inserviunt apologi, fabellæ, joci, ludicrae narrationes, acuta atq; ænigmatica sententia, allusiones, & id genus alia. Segetem eorum certè exhibent *Otho Melander*, in *Jocoseriis*, *Othomarus* in *jocis atq; salibus*, *Frischlin*. in *facetis*, *Pontanus* in *Atticis Bellariis*, *Drexel*. in *Aurifod*. *Tympius* in *qvæst. sympos.* aliiq; plures.

Ridiculo sic usurum Oratorem, ut nec nimis frequenti, ne scurrile sit: nec subobscano, ne inimicum: nec petulanti, ne improbum: nec in calamitatem, ne inhumanum: nec in facinus ne odij locum risus occupet) Bèné Barthol. Riccius de imitatione ad *Alfonsum Atestium* Principem, lib. 1. *sales & facetie*, inquit, usq; eò sales sunt, quo ad intrà legem suam continentur. Cum vèrò ad scurrilitatem luxuriantur, tum plebejo

Sit conditus sale sermo Oratorius.

An, & quatenus Urbanitas Oratorem deceat?

tantum dignæ sunt theatro. Cùm videlicet ut virtus, in mediocritate sita sit εὐταπειλία, ne extra oleas vageretur, neve degeneret vel in scurrile, vel obscænū vel petulans, vel improbum, vel quid aliud inhonestum, suis circumscriptur limitibus. Sint joci igitur. (I) non aridi insipidiq; ; sed sale Mercurii conditi (II) Sint minus frequenter, quia tædiosum omne nimium. (III) Inter ejusdem conditionis & ætatis homines admisceantur. (IV) Tempore convenienti afferantur, ne seria ludicris, tristia interpellantur lætis: ne (V) sint petulantes & obscæni: sed faceti potius ac elegantes. (VI) Non coacti sed fluentes sponte & se velut offerentes ex occasione. Ast quò digredimur? cùm hæc nec ad Oratorem tantum, nec ad omnem etiam pertineant. Facetias enim & ridiculas historias nullatenus decere Oratorem facrum, in Consiliorum parte 2. Witteberg: Theolog. tit. 4. f. 68. 69. decisum deprehendes.

Joci quales esse debeant?

Abstineat à contumeliolis & injuriolis vocibus Orator.

Parcet amicitiiis & dignitatibus: vitabit insanabiles contumelias. tantummodò adversarios figet, nec eos tamen semper, nec omnes, nec omni modò!) Artis non minimæ, sed circumspeditionis maximæ negotium videtur, nosse, quò modò, quo tempore, quò adhibitò temperamentò confutari & confundi adversarii debeant ac possint. Res & odiosa & periculosa

culosa est, nimum reprehendere in publico
& certis velut characteribus notare eos, qui
nocere queant plurimum; Quando tamen
summa imperat necessitas, ut officio pariter
ac conscientiae faciamus satis, ita moderan-
dum hoc est artificium, ut intra suos limites
decurrat. Ad Civilis quidem Oratoris par-
tes spectat, quod hic Cicero inculcat, & certa
quadam ratione ad Ecclesiasticum referri de-
bet pariter; ut

- (1.) Parcat amicitias ac dignitatibus.
- (2.) Vitet insanabiles contumelias & op-
probria ignominiosa.
- (3.) Figat adversarios, ut sentiant, se tan-
gi; non configat & ludibrio exponat.
- (4.) Prudentiam temporis adhibeat in
consilium; non enim omnia semper
& ubique decent aut proficiunt.
- (5.) Eat per gradus velut, nec simul omnes,
nec pari ratione petat.
- (6.) Addimus hoc insuper, ut, quoniam
vir bonus est Orator, iustitiae ac veri-
tatis amans, incorruptum erga quos-
vis animum ostendat: vitiorum o-
for, non hominum existat: bonum
publicum, non commodum priva-
tum cordi habeat; procul odio ami-
citiisque, procul universis partium
studiis, rem ipsam tangat potius pa-

Ecclesia-
sticus im-
primis.

DE PERFECTO

cisq; studiosus & exemplum patientiæ, non temerè offendat quemquam, emendet autem & lucretur plurimos.

Ecclesiasticum quod porrò Oratorem attinet, quemadmodum in confutando, castigando & reprehendendo sobriè ac prudenter quilibet se gerat, in *Consiliorum Wittenbergen-
sium Theologorum* parte 2. titulo prolixo 4. à p. 68. usq; ad 100. responsa multa & exempla commodè hùc facientia invenies.

AD CAP. XVI.

Varia lectio.

Cum dixit Ennius; *arcem & urbem orbas:*) Variat in Codicibus hæc quidem lectio. Palatinus I. & IV. tus ita effert: *ardent urbem orbam.* Loquitur enim Cicero, (ut conjicit Gruterus) hinc de Româ à Gallis incensa civibusq; suis viduatâ, qui in Capitolium refugerunt. Frustra igitur Lambinus legit: *arce & urbe orba sum:* quæ conjectura plusquam humana est, judiciò Gruteri.

Et hoc loco.

Quasi summutantur verba pro verbis:) Et hinc loci lectio non una eademque. Pithæi liber ita: *sumunt tamen.* Palatini ambo: *sumunt tantum.* Fortè *submittuntur?* Secundum Janum Guilielmum. Ceterùm, pro *quasi*, malunt quidam, quia *quasi*.

AD

Tertius est ille amplus, copiosus, gravis, ornatus, in quo profectò vis maxima est.) Grandis & magnifici characteris propria hæc esse, amplè, copiosè, graviter & ornatè dicere, dum monet Tullius, respicere decet, quæ sint causæ, quæ opposita, quæq; exempla sublimis hujus Generis (quod generosum, altum, plenumq; alii appellant) scribendi. Vid. quæ post Vossium, J. Cæs. Scaliger in arte Poët. l. 4. c. 1. de hoc argumentò fufius exposuit.

Sapientiam) Lege sic potiùs: *sapiens; jam &c.*

Chara-
cter gran-
dis & ma-
gnificus.

AD CAP. XVIII.

Ego quid desiderem, non quid viderim, disputo: redeoq; ad illam Platonis rei formam & speciem.) Uti illa omnibus beata numeris, Respublica Platonis nusquam & nunquam, nisi in ideis observata; sic perfectissima Eloquentis species mente quidem cogitari, optari & describi, ad eum autem consummationis gradum, ut nihil illi desit, nec exurgere, nec ullibi existere valebit. Hoc modò rectè negat Tullius, fuisse unquam Eloquentem, qualem hîc desiderat.

Jus civile laudavimus: verba ambigua distinximus. Fuit ornandus in Maniliâ lege Pompejus,

Perfectis-
simus O-
rator ve-
lut bea-
tissima
Respubli-
ca Plato-
nis confi-
stens in i-
deis.

Stylus Ci-
ceronis
non unius
Characte-
ris.

pejus, temperatâ oratione ornandi copiam persecuti sumus. Jus omne retinenda majestatis, Rabirij causâ continebatur. Ergo in omni genere amplificationis exarsimus.)

Qui hæc legitis, dictum putate vobis, in scribendi caractere omni, pro exemplo sufficientissimo unum esse Ciceronem posse. Hic est, qui & parva summissè, & modica temperatè, & magna dixit graviter. Oratione pro Cæcinâ subtilem se ac tenuem; mediocrem pro lege Manilia; gravem & sublimem pro Rabirio; varium & ubiq; tamen admirandum in Verrinis se exhibuit. Tullium ament, legant, imitentur humiles, mediocres & sublimes. Invenient in amplissimis lætissimisq; pratis hisce boves herbam, apes mel, & florem virgines.

Tullius
instar o-
mnium.

Delecti-
one hujus
loci.

& quot
Orationes
Verrinæ?

In accusationis septem libris.) Hotoman-
nus pro VII. legit V. quod vel invitis libris
omnibus putat recipiendum *Lambinus*. Sci-
endum nihilominus, etsi Verrinæ V. tantum
sint Orationes, sive libri principales; præpa-
ratorios appellare interim proœmium cum
divinatione, ecquis vetet? Res ita habet.
In 7. Verrinis hic judicium repetundarum in-
stituebatur. Actio erat duplex: prior dua-
bus constitit orationibus; prima horum di-
vinatio; altera postulatio, de novo genere
agendis contra Hortensium Oratorem insti-
tuta

tuta dici potest commodè. Secundæ actiones, sive accusationis V. sunt orationes, ad comperendinatum quidem factæ, non tamen habitæ; sed ad industriæ laudem publicandæ actionis libri; de quibus Quintæ. Hi sunt quinque; contra Verrem scripti: I. II. c. 2. & dialogi de corruptis Eloquentiæ causis Autor. Conf. Joh. Thom. Freij. observationes in Verrin. I) Primus liber est de Præturâ urbanâ; secundus de Jurisdictione; tertius de re frumentaria; quartus de signis, quintus de suppliciis. Divinatio autem potius oratio de constituendo adversario quàm accusatio videtur: & quæ divinationem sequitur, cohortatio tantummodò ad severè judicandum.

Quod in Habiti?) pro Habiti, Aviti legunt quidam Codd.

Nulla est ullò in genere laus Oratoris, cujus in nostris Orationibus non sit aliqua, si non perfectio, at conatus tamen atq; adumbratio.) A prudentiâ modestiâq; Oratoris non abhorrere appetitum gloriæ, honoris, & applausûs, in Medullâ Orat. I. I. c. 3. axiom. 2. demonstravim9.

Modestia
Oratorē
debet; nec
tamen
gloriæ
appetitus
debet.

AD CAP. XIX.

Perfectè eloquentis puto, non eam solum facultatem habere, quæ sit ejus propria fusè lateq; dicendi, sed etiam Dialecticorum scientiam

Perfectus
Orator sit
exercita-
tus Diale-
cticus.

assumere.) Quàm necessaria, quàmq; utilis sit Oratori Dialectica, hoc toto ferè cap. exponit Tullius. Non commune saltem artium & facultatum omnium organon est Dialectica, sed propter argumenta generum & locorum variorum, quibus pugnare contra adversarios, probare facereq; fidem apud Judicem a auditores maximè Orator debet, proprium illi velut & domesticum videtur. Nemo igitur Orator bonus, nisi versatissimus in Dialecticis simul existat.

Aliud tamen Disputatio; aliud Oratio.

Quamquam aliud videtur oratio esse, aliud disputatio: nec idem loqui, quod dicere. Disputandi ratio & loquendi, Dialecticorum sit: Oratorum autem dicendi & ornandi.) Loquuntur homines, disputant Dialectici, dicunt & perorant Oratores. Differt ut multis aliis, sic fine potissimum, formâ atq; argumentis Oratorum Pitho à dictione Philosophicâ & scriptione. Pluscula hanc in rem attulimus Medull. Orat. l. 2. c. 1. quæst. 2. nec non l. 2. cap. 3. axiom. 1.

Aristoteles excellens Rhetor, quid hanc in arte scripserit.

Et ipse Aristoteles tradidit præcepta plurima differendi,) Scripsisse Aristotelem de arte Rhetoricâ ad Theodecten, (unde *Θεοδέκτης* dicta) proditum memoriæ legimus. Prostant adhuc & circumferuntur 3. ad Theodecten Rhetoricorum libri; quamquam non una omnium sententia de auctore verò operum

rum illorum sit. Id quidem argumentis non planè nullis *Franciscus* docuit *Philephus*, Rhetoricen ad Alexandrum Regem scriptam ab aliò quovis potiùs, quàm à Stagirità factam. *Laërtio* teste, Aristoteles volumina Rhetoricorum duo publicavit. Libros autem hos non esse illos, quos ad *Theodectem* misit, liquidò affirmat *M. Antonius Majoranius* in argumentò ad eosdem. Alium præterea tractatum, *Grylli* nomine confectum, de dicendi arte à Philosopho fuisse, meminit *Quintilianus*.

Noverit primùm vim, naturam, genera verborum & simplicium & copulatum) Res non minimi negotii artificiiq; est, pernosse vocabulorum omnium naturam, vim, significationem propriam & translata; seu simplicia, seu derivata illa sint. Quò plurimùm conferre potest præstantiorum Lexicorum diligens scrutinium, & quicquid vel à *Laurentio Valla* Libris VI. de Lat. Ling. elegantiss; vel ab *Ausonio Popma* Libris 4. de verborum differentiis, & Libris II. de veteris locutionis usu; vel ab aliis eruditè observatum est. Juvabit quoq; *Fabri* à *B. Buchnero* auctum Lexicon seligere in quotidianos usus, illudq; pellegere à capite ad calcem. Sic tamen, ut verba accuratiùs quam nomina, & ex nominibus simplicia præ derivatis & compositis

fectè-

Formalè
cujuscun-
que vocis
rationem
atq; indo-
lem Ora-
tor nôrit.

sectere; omissis primâ vice propriis locorum, urbium ac personarum vocibus. Quod studium quantos paraturum sit accessus eruditioni solidæ, eventus demonstrabit.

**Definitio
Oratoria.**

Erit igitur hæc facultas in eloquente, ut definire rem possit, neq; id faciat tam pressè & angustè.) Definitionis vox latius apud Rhetores, quàm Philosophos accipitur. Illa quævis nominis aut rei explicatio s. descriptio aut interpretatio, definitio vocatur. Philosophi enim tantum definitionem dicunt, ubi essentia rei explicatur. Oratorum autem definitiones amplificatione gaudent, jam à causis, jam ab adjunctis, jam ab exemplis aut similibus, jam planè ab oppositis petitæ. Hoc sensu Quintilianus: *hominem animal Deo proximum & contemplationem omnium, quæcunq; in mundo contigerunt, constitutum, exaggerandi gratiâ appellat.* Vid. incomparabilis *A. Buchner.* lib. 2. de commut. dic. rad. c. 1. p. 297. seqq. Conf. & *Franciscus Pomey* in *Candidat. Rhetor. progymnasm.* 3. c. 1. p. 122. seqq. Imprimis verò p. 125. & seqq.

**Divisio
Oratoria.**

Idemq; etiam, cum res postulabit, genus universum in species certas, ut nulla neq; pretermittatur, neq; redundet, partietur ac dividet.) Huc omne illud pertinet, cum per enumerationem partium, aut partitione, & divisione, aut distinctione aliquâ Orator utitur. Ali-
quan-

quando autem generalia omittimus, contenti partes tantummodò enumerâsse: aliquando genus univèrsum exprimimus; nunc in principiò, nunc in fine; quandoq; & in mediò, ac iterum in fine. Ad hoc locò iterum *Buchner* 1.2 c. 411. seqq. & *Francisc. Pomey Progymn.* 2. c. 2. p. 121. seqq.

AD CAP. XX.

Nec verò Dialecticis modò sit instructus, sed habeat omnes Philosophiæ notos tractatos locos. Nihil enim de religione nihil de morte, nihil de pietate &c.)

Orator etiam philosophus existat.

Verissimè *Huartus* ille *Janus* in *scrutin. ingen.* c. 13. quemadmodum *Dialectica*, inquit, hominem non in una modò scientiâ, sed in omnibus discurrere ac ratiocinari docet: ita & *Rhetorica* eum instruit, qui in *Medicina*, in *Jurisprudèntia*, in arte militari ac reliquis scientiis singulis, atq; adeò in universa illa conversatione loqui debeat. Ut, si fingere absolutum Oratorem cupimus, considerari non possit, nisi, quòd omnium scientiarum gnarus sit: quippe cum illas omnes jurisdictioni suæ subjectas habeat, ac in qualibet earum indistinctè præcepta sua exercere possit. & quæ sequuntur ibi.

Ne Physicorum quidem esse ignarum volo.)

Objectum Oratoris generale est $\pi' \epsilon\kappa\alpha\sigma\upsilon\nu$; omne id nimirum, quò de dici potest ac debet.

Non in
Physicis
holper.

Sub

Sub hoc divina & humana omnia comprehenduntur. Ad priorem referebant classem veteres, quæcunq; naturalia spectabant, potiora illa. Sapiens Romanus sanè, quoties per naturæ ibat occulta, res divinas tractare se, gloriabatur. *Hæc inspicere, inquit ad Lucil. in qq. natural. præfat., hæc discere, his incumbere, nonne transilire est mortalitatem suam?* Gnarus ergo Physicorum probè sit Orator, cum nihil in tota rerum universitate prope modum occurrat, quod non dotes suas habeat, ob quas laudari possit. Ecce enim homines, bruta, plantæ & inanimata cuncta, laudes pariter ac utilitates suas possident! *Nec verò potest quisquam (verba Ciceronis sunt 3. de finibus, sub finem) de bonis & malis verè judicare, nisi omni cognita ratione nature, & vite etiam illorum; & utrum conveniat nec ne, natura hominis cum universa: quæq; sunt vetera præcepta sapientium, qui jubent temporì parere & sequi Deum, & se noscere, & nihil nimis. Hæc sine Physicis quam vim habeant, videre nemo potest. Atq; etiam ad justitiam colendam, ad tuendas amicitias & reliquas charitates, quid natura valeat, hæc una cognitio potest tradere. Nec verò pietas adversus Deos, nec, quanta his gratia debeat, sine explicatione nature intelligi potest. Huc usq; Cicero: cui suffragatur etiam Quintilianus 12. Instit. Orat. 2. pars naturalis*

turalis ad dicendi exercitationem tantò ceteris
uberior, quantò majorè spiritu de divinis re-
bus, quàm humanis, loquendum est; & quæ
seqq. ibi.

AD CAP. XXI.

Cumq; illa divina cognoverit, nolo ignoret
ne hæc quidem humana; Jus Civile teneat,
quò egent causæ forenses quotidiè & c.)

In jure
Civili an-
te omnia
exercita-
tus, sic.

Incidunt enim causæ plurimæ (secundum
illa, ap. Tacit. in dialog. de corruptæ Eloqv.
caussis c. 32.) quibus juris notitia desideratur.
Oratorem ergo non posse aliter existere, nec ex-
titisse unquam confirmo, nisi cum, qui tanquam
in aciem armis omnibus instructus, sic in forum
etiam armatus exierit. Ac mox ibidem sub-
jicit: satis multos offendi: qui, si fortè hoc au-
dirent, certum habeo, dicturos, me, dum Juris &
Philosophia scientiam tanquam Oratori neces-
sariam laudo, ineptiis meis plausisse. Ad eun-
dem penè sensum Cicero i. de Orat. i. Tenen-
da, ait, est omnis antiquitas exemplorumq; vis?
neq; legum, aut juris civilis scientia negligenda
est. His planè gemina videntur, quæ Instit.
2. toto cap. tertio Quintilianus fusè memo-
ravit. Ac ut porrò clariùs de necessariò O-
ratori studiò legum constet, idem & commu-
ne nomen Oratoris atq; Advocati omni fuit
tempore. Officium commune docet etiam,

eosdem Oratores simul & JCTos inter veteres Romanos extitisse plurimos. Jam & dicendi genus jurediciale & singulos ejusdem statûs, & judicii processum totum, quâ quæso ratione citra peritiam legalem aut intelliget, aut excolet utiliter? Adde leges, quibus passim militat Orator; adde loca, adde argumenta ab æquo, iniquo, justo variè petita; non, hæc profectò certiùs commodiusvè, quam Jurisprudentiæ tractari possunt beneficio. *Quid igitur est turpius, quàm legitimorum & civilium controversiarum patrocinia suscipere, eum sis legum & Juris Civilis ignarus?* Sic concludente Tullio.

AD CAP. XXII.

Historiã,
maximè
Romanã
calleat.

COgnoscat etiam rerum gestarum & memoria veteris ordinem, maximè sc. nostræ Civitatis &c.) Nunquam svaderi satis atq; commendari elegantioribus potissimùm ingeniis usus ex historicis historiisqve potest. Ad prudentiam civilem istam publicam quantum conferat momenti, quantis pensetur præmiis labor nobilissimus, tot ubilibet exempla & experientiæ loqvuntur. Oratoriæ cultori verò non hoc decorum saltem, sed omninò necessarium videtur requisitum. Qui autem & quâ legendi arte hanc in rem sint? post *Cole- rum, Grotium, aliosq;*, disertissimè exposuerunt summi viri, *Gabr. Naudæus* in *Bibliograph.*

graph. Politica, *Hermannus* item *Conringius* in Civili prudentiâ, & divus *Dn. Bæclerus* absolutissimâ dissertatione de Histor. usu.

Quem laborem nobis Attici nostri levavit labor &c.) De T. Pomponii Attici historicis laboribus luculentum testimonium Nepotis est in vitâ Attici c. 18. *Antiquitatem adeò diligenter habuit cognitam, ut eam totam in eò volumine exposuerit, quo Magistratus ornavit. Nulla lex, neq; pax, neq; bellum, neq; res illustris est populi Romani, quæ in eo suo tempore non sit notata: & quod difficillimum fuit, sic familiarum originem subtexit, ut ex eò clarorum virorum propagines possimus cognoscere.* Plura ap. Cornel. l. allegato vide.

Nescire, quid antea, quam natus sis, acciderit, id est semper esse puerorum.) Vox à iudiciò maximò profecta & verissima. Hoc sensu etiam apud Platonem *Critias* in *Timæo*, *Græcos semper-pueros appellat; nec quemquam ex Græciâ senem esse* subdit: quòd juvenilem semper animum haberent, in quo nulla esset ex vetustatis commemoratione cana aliqua scientia. Solebant enim illo seculo *uovivw* fabulis poëtarum potius attendere vani & fluxâ fide Græculi: donec primus inter Græcos desiit nugari *Diodorus Siculus*, elogio *Plinii Sen.* & in historiæ systema res gestas

Semper-
Pueri Hi.
storiæ
ignari.

primus compilavit, bona malis, falsa veris
miscens sæpiùs *Herodotus*.

AD CAP. XXIII.

Loci
Rhetorici
genera.
tim
duplices.

Duplices loci, uni è rebus ipsis, alteri assum-
pti.) Agendum hîc propter rei dignita-
tem ac necessitatem de locis, & quæ inde pe-
ti dicuntur, argumentis ex professo foret;
nisi præstitum id alibi sufficienter esset à tot
viris præclarissimis. Vide post alios, in pri-
mis *B. Aug. Buchn.* lib. 2. de commut. dicen-
di ratione, per plurima prolixè capp. *Valent.*
Thilon. Topolog. Rhetor. per totum opuscu-
lum.

AD CAP. XXIV.

Modera-
tor tem-
porum
ac perso-
narum sit
Orator.

Hæc sapientia maximè adhibenda eloquenti
est, ut sit temporum personarumq; modera-
tor.) Ut in actionibus & vitâ, sic in verbis ac
oratione, tempori, ingenio, ac argumento in-
servire pars prudentiæ civilis prima meritò
habenda est. Quid nunc, quid hîc, quid ali-
bi dicendum sit decenter, scire, ingenii feli-
cioris ars existimari debet. Inserviat tem-
pori, inserviat personis, qui vult nomen ali-
quod in seculò non nullum esse.

Principia
sermonis
verecun-
da.

*Principia verecunda, non elatis intensa ver-
bis.)* Quæ lectionem sequi malim Palatinos
(Codd.

Codd. & Pith. *incensa*: etsi magis aliis arri-
deant *intenta*. Sed ad rem. Nihil æq; ac
modestia humilitasq; Oratorem decet. Cum
enim sermo virum arguat, & invisa omnibus
sit insolentia; quid quæso proprium dome-
sticumq; magis Oratori est, quàm verecun-
dia? Hæc si ubiqve, omninò in principiis
Orationum, partium & sententiarum solici-
tissimè meretur observari. Secus ab initiò
auditor offendetur, & ingeminabit:

Quid nobis tanto fert hic promissæ biatu?

Projicit ampullas & seqvipedalia verba.

Ceterum, quod intellexerat de elocutione
Tullius hæc parte, hoc idem accipies de mo-
deratione vocis. *Quid enim insuavius (quæ-
rit Herennianus doctor l. 3.) quàm clamor in
exordio cause?* Sapienter Seneca Epist. 15. ad
Lucil. *Usg; adeò naturale, paulatim incitari,
ut litigantes quoq; à sermone incipiant, ad vo-
ciferationem transeant. Nemo statim Quiri-
tum fidem implorat. & quæ sequuntur ibi.*

AD CAP. XXV.

Verbum nullum, nisi aut grave, aut elegans
excidat.) Notate & infigite memoriæ a-
nimisq; aureum hoc dictum qui legitis, &
qui auditis. Nullum proferendum facilè
verbum, nisi quod aut elegans, aut grave. Sit
vocum igitur delectus semper nobis com-

Verborum
pondera
pondera.
to.

mendatus. Pudeat & pigeat dixisse, cuius te
mox poenitere possit. *O quantum artificium*
& quanta res est! ne quid aut minus elegans,
aut minus grave dicas, tacuisse.

Loci
commu-
nes quid
sint?

Loci communes; quòd videntur multarum,
iidem esse causarum)

Loci communes Oratorum illi quid sint?
3. de Orat. c. 106. ostendit Cicero: *commu-*
nes à veteribus nominati sunt, quorum partim
habent & errorum & peccatorum acrem quan-
dam cum amplificatione incusationem aut
querelam; contra quam dici nihil solet, nec
potest ut in depeculatore, in proditore, in
parricidam. Alii autem habent deprecationem,
aut miserationem: aliis verò ancipites
disputationes, in quibus de universò genere in
utramq; partem differi copiosè potest. Idem
alibi 2. de Inventione 48. Locus communis
aut certè rei quandam continet amplificatio-
nem, ut si quis hoc velit ostendere, eum, qui
parentem necarit, maximo supplicio esse di-
gnum, quo loco, nisi peroratâ & publicatâ
causâ, non est utendum. Ac pars locorum
communium aut per indignationem, aut per
conquestionem inducitur &c. Hic loci ta-
men observandum est, quod monet *Theon,*
bifariam differre à laudatione & vituperatio-
ne locum istiusmodi communem. *Communis*
enim semper absq; personâ est: sed laus & vi-
tupe-

tuperium personam jam directè, jam indire-
ctè tangunt. Deinde locus communis pars O-
rationis est: at laudationis & vituperationis
nomen toti convenit Orationi.

Quicquid est illud, in quo quasi certamen
est controversia, Gracè κερύμενον dicitur)

Non malè κερύμενον Theodorus Gadarensis
κεφαλαίον ἐν ἰσοθέσει, s. caput causæ nomi-
navit. Ciceroni πρὸς Φρασηκῶς vocatur,

quod in iudicium venit; aut quâ de re agitur.

Quintilianus (3. Inst. Or. 13.) iudicationem
vocat; disceptatio nuncupatur aliis. Re-

sultat autem κερύμενον ex primariâ ratione
defensoris, quam αἰτιον indigitant, ex accu-

sationis firmamento; quod vulgò συνέχον di-
citur, aut continens. Pro exemplô fit illud

antiquissimum tritissimumq; factum. Orestes
occidit matrem Clytemnestram. Dicit, se ju-

stè fecissè. αἴτιον s. ratio Orestis est; quia prius
patrem interfecit meum. Hinc oritur κερύ-

μενον: an possit filius occidere matrem, quæ
prior sustulit maritum. Nec tamen simplex

semper atq; unum in oratione quâlibet κερύ-

μενον occurrit. In Quintilianâ enim illâ
Ciceronis quadruplex se offert. Conf.

si placet *analysis Orationis hujus,*

quam ante annos aliquot
publicavimus.

Quid

τὸ κερύ-

μένονον ?

ἡδυνόν
& πα-
θητικόν.

Duo sunt, quæ benè tractata ab Oratore ad-
mirabilem eloquentiam faciunt. Alte-
rum est, quod Græci ἡδυνόν vocant; alterum,
quod idem παθητικόν nominant.)

Laus & ars maxima Oratoris est, movere a-
nimos, &, quos velit, affectûs mentibus in-
duere. Hoc est, (dicente Fabio lib. 6. Instit.
Orat. 3.) quod dominatur in judiciis. Ubi
animis judicum (quidni & auditorum?) vis
afferenda est, & ab ipsâ veri contemplatione
abducenda mens, ibi proprium Oratoris opus
est. Hoc non docet litigator, hoc causarum
libellis non continetur. Probationes effi-
ciunt sanè, ut causam nostram meliorem es-
se, iudices putent; affectus præstant, ut etiam
velint. Sed id, quia volunt, credunt quoque.
Nam cum irasci, favere, odisse, misereri cæ-
perint, agi jam rem suam existimant. Et sicut
amantes de formâ judicare non possunt, quia
sensum oculorum premit amor; ita omnem
inquirendæ veritatis rationem Judex amit-
tit, occupatus affectibus, æstu fertur, & velut
rapido flumini obsequitur. Huc igitur in-
cumbat Orator, hoc opus ejus, hic labor est:
sine quo cetera nuda, jejuna, infirma, ingrata
sunt. Adeo velut Spiritus operis hujus atq;
animus est in affectibus. Hæc de necessitate
atq;

atq; efficaciâ affectuum commovendorum
 Fabius: jam de divisione eorundem, quantum
 ad Oratorem spectant: horum autem, inquit,
 duæ sunt species, alteram Græci $\pi\alpha\theta\epsilon\iota\varsigma$ vocant;
 (nos rectè & propriè affectum dicimus,) alte-
 ram $\eta\theta\epsilon\iota\varsigma$: cuius nomine caret sermo Roma-
 nus: mores appellantur, atq; inde pars quoq;
 illa Philosophiæ $\eta\theta\epsilon\iota\varsigma$ moralis dicta est &c.
 Quomodo autem $\tau\omicron\ \eta\theta\epsilon\iota\varsigma$ differat à $\pi\alpha\theta\epsilon\iota\varsigma$
 $\pi\alpha\theta\epsilon\iota\varsigma$, quæstione 2. lib. 2. Medull. Orator. cap.
 6. exposuimus.

In quo uno regnat Oratio.)

Regnum eloquentiæ hoc artificio præcipuè
 absolvi, vel inde clarum esse, ait Vossius 2. par-
 tit. Orator. 1. quòd vim animis asferre, per af-
 fectus soleat Orator. Quà si careat virtute,
 siccus ac jejunus sine sanguine succòq; fuerit. Si-
 ne affectuum motu, inania omnia esse, Pla-
 tonis Phædrus Gorgiasq; asserunt. Nec verò
 mihi quicquam (verba Consulis Romani sunt
 ex 1. Orat. 9.) præstabilius videtur, quàm
 posse dicendo tenere hominum cœtus? mentes
 allicere, voluntates impellere, quò velit: unde
 autem velit, deducere. Hæc una res in omnî
 libero populo, maximeq; in pacatis tranquilliq;
 civitatibus præcipuè semper floruit semperq; do-
 minata est. Hinc consummatum Oratorem,
 mortalem quendam Deum Quinctilianus
 nominavit. De Vincentio quodam, Colle-

Regnum
 Eloquen-
 tiæ in af-
 fectibus
 moven-
 dis.

gâ olim suô, *Ludovicus Granatensis* gloriatur, quòd profligatissimorum orbe hominum *septuaginta tria millia* (*Bellarminus* immani numero diffusus, eundem ad *viginti millia* contraxit) sermonis efficaciam eò adegerit, ut *terga publicè cæciderint flagellis*: & non rarò velut *verborum ejus fulmine icti*, adeò fuerint stupefacti, ut in mediò auditorio, sublato clamore, *gravissima profiterentur crimina*. De cetero, artificium affectus commovendi, labore utilissimo in Pathologia Oratoria edocuit *Valentinus Thilo* artis hujus nobilis Professor olim Regiomonti Borussiae.

Cicero sui
ipsum en-
comia.
stes.

Nobis pro familiari reo summus Orator non respondit Hortensius. A nobis homo audacissimus Catilina in senatu accusatus obmutuit &c.)

Nihil æq; Oratorem, ac modestia humilitasq; (quæ in animo ac moribus consistit, nec externis illis symbolis absolvi potest) decet. In vitâ igitur & sermone ita se gerere oportet Oratorem, ne vel se ipsum arroganter laudet; in quò hic aliquid humani passus Cicero videtur; vel laudantes se, ambitiosè admodum affectet. Fugientem sequitur, sequentem fugit honor. Extra necessitatis casum itaque, ne sit encomiastes sui, declamator.

Ad com-
miserati-
onem ex-
citandam
singulare
artificiū;

Nos ita dolenter uti miseratione solemus, ut puerum infantem in manibus perorantes tenuerimus:

rimus: ut aliâ in causâ, sublato ex filio parvo, plangore & lamentatione compleverimus forum.)

Ad misericordiæ aut indignationis etiam affectum promovendum, præter sermonis efficaciam, mira vis in factis illis scenicis commiseratione dignis sita est. Sic elatum domo *Lucretiæ corpus* & in forum delatum miraculo rei novæ hominum colluviem implevit vario affectu & contra *Tarquinius* armavit. Vide *Liv. lib. 1. hist. c. 59.* Et populum Romanum egit in furorem *prætecta C. Caesaris cruenta*, in foro prolata ab Antonio. Vestis enim illa sanguine madens ita repræsentavit sceleris imaginem, ut non occisus esse *Cæsar*, sed tum maximè occidi videretur; teste *Fabio l. 6. Instit. Orat. 2.* ubi plura ejus generis huc facientia commemorantur. Noverat hoc artificium *Themistocles*; qui ut exul majore religione reciperetur ab *Admeto*, *Molossorum Rege*, filiam ejus parvulam arripuit, & cum eâ se in sacrarium, quod summâ colebatur cerimonia, conjecit, nec prius egressus est, quàm Rex eum datâ dexterâ reciperet in fidem. *Nepos Themistocl.* Est quoq; inter modos affectus commovendi efficax, externus ille habitus. Hinc factum etiam, ut accusati, misericordiæ movendæ gratiâ, fordidatis vestibus in Romano foro coram judi-

cibus apparuerint. Et quis dubitet, cruci figendum Servatorem Jesum, ab iniquo quidem, sed meticulosissimo simul iudice Pilato, ad commiserationem excitandam, exemplo plane tragico Judæis, cum lemmate hoc: *Ecce homo!* fuisse presentatum. Dido quoque lacrimabilis Æneæ suo dolorem facit atque miserationem: *Adspicias utinam quæ sit scribentis imago,*

*Scribimus, & gremio Troicus ensis adest:
Perque genas lacrimæ strictum labuntur in
ensem.*

Qui jam pro lacrimis sanguine tinctus erit.

Sed etiam est faciendum, ut irascatur iudex,

Si vis me
fere, do-
lendum
est pri-
mum ipse
tibi.

mitigetur, invideat, faveat, contemnat, admittetur, oderit, diligat, cupiat, satietate afficiatur, speret, metuat, letetur, doleat &c.)

Hoc ut in aliis obtineat Orator, incipere à se prior ipse debet. Quem enim aliis inducere affectum volumus, primum induere tenemur ipsi. *In iis, quæ verisimilia esse volumus, (verba Fabii Rhetoris sunt l. 6. Inst. 3.) simus ipsi similes eorum, qui verè patiuntur affectibus, & à tali animo profiscatur Oratio, qualem facere iudicem volet. An ille dolebit, qui audiet me, cum hoc dicam, non dolentem? Irascetur, si nihil ipse, qui in iram concitat, idque exigat, simile patietur? siccis oculis dabit lacrimas? fieri non potest. Nec incendit, nisi ignis; nec madescimus, nisi humore; nec res ulla dat*
alte-

alteri dolorem, quem ipsa non habet. Primum est igitur, ut apud nos valeant ea, quæ valere apud iudicem volumus; afficamurq; antequam afficere conemur. Hæc ille. Conf. Cicer. 2. de Orat. n. 189. Senec ep. 98. & Agell. l. 7. noct. c. 7. de Polo histrione.

AD CAP. XXVII.

Verbum ex ore nullum, nisi aut elegans, aut grave exeat.) Dignissima sunt, quæ huc afferantur verba *Dionysii Halicarnas. de collocat. verbor. c. 141. Uniuscujusq; adolescentis animus stupefit in obtutu pulchritudinis eloquendi: & ad eam naturales quosdam impetus, & tanquam afflatu divino concitatos sumit. Iis sane multâ admodum & prudenti opus est institutione atq; educatione primâ; ut tales evadant, ne id, quodcunq; intempestivè venerit in buccam, effutiant verbum; neq; temerè, quicquid sese obtulerit, coagmentent secum: sed delectu utantur verborum, ut simul & pura sint & generosa: eâq; compositione condiant, quæ gravitati junctam habet suavitatem. Ad eam itaq; partem, quam imprimis adolescentes debent colere, confero tibi, (ait idem Halicarnass.) partem de collocatio-
ne verborum & amori commendo, opus, quod non paucis quidem in mentem veniebat eorum,
qui*

Verba
omnia
crutinen-
tur.

qui ex veteribus Rhetoricis vel Dialecticis conscripserunt artes; sed à nemine, ut existimamus, exactè & perfectè usq; ad hanc lucem pertractatum.

Oratio-
nis lumi-
na, figu-
rae.

Eadem ratio est horum, quæ sunt Orationis lumina, & quodammodo insignia) Tropos & potissimum figuras dum appellat lumina & insignia Orationis Cicero, dignitatem simul & necessitatem, (de quâ utrâq; ita Fabius 9. Instit. 2.) commendare voluit: omnia illa, etiã quæ sunt alterius modi lumina, adeò sunt virtutes Orationis, ut sine his nulla intelligi verè possit Oratio. nam quomodo iudex doceri potest, si desit illustris explanatio, propositio, finitio, sejunctio, expositio, sententia apta, conclusio, præmonitio, similitudo, exemplum, digestio, distributio? &c. Dolendum videlicet, movendum atq; delectandum Oratori est. Instrumentis igitur ac mediis ad acqvirendum ista opus. Gratam enim auribus observans harmoniam & varietate demulceri auditorem posse colligens Orator, tot media armaq; expugnandis animis idonea excogitavit. Quippe quod in horto flores, in obscuro loco lumen, id in oratione tropi & figuræ sunt. Hinc quò abundantior his ornamentis sermo, hoc & floridior futurus idem.

Gra-

Gradatim sursum versus reditur:) Palatini omnes & Pitheus redditur: Guilielmus receditur.

AD CAP. XXIIIX.

S*ic igitur dicet ille, quem expetimus, ut verset sepe multis modis eandem & unam rem, & habeat in eadem commoreturq; sententiâ: sepe etiam, ut extenuet aliquid, ut irrideat, ut declinet à proposito, & quæ seqq: usq; ad fin. hujus capituli.)*

Communitatio dicendi & varietas summæ necessaria

Nota Protei fabula est, qui idem semper atq; alius novabat formas, inq; facies subinde alias, ut videbatur, sese convertibat. Quod scitissimè omnium eò interpretantur commentum illi, qui ad varietatem copiamque eloqvendi referunt. *Infinita apud autores loca notare licet, (inquit Maximus Buchnerus noster in proœm. de commutat. dic. ratione) ubi easdem res tractant atq; exponunt; novâ semper tamen aliâq; formâ: ut, cum in re conveniant; in modo tradendi tamen & ratione, diversi existant.* Alii enim pressè ac constriçtè id faciunt; alii contra dilatant se, & quiddam amplius afferunt. Nonnulli submissò atq; subtili orationis utuntur genere, quidam assurgunt altiùs, & in cothurnis quasi ingrediuntur. Absit nimirum, eò angustia

gustia & tenuitatis contracta sint eloquentia
opes, ut, quod ultima sortis hominibus usu
solet venire, quos per inopiam, cum commu-
tandae vestis copia non sit, eodem cultu uti
semper atque prodire oportet. Non tam inops
est eloquentia, dicente Fabio *Quint.* ut una
de re non nisi semel bene dici possit: quin eo
potissimum cernitur vis ejus, quod idem mul-
tis modis possit transformare. *Contendendum*
igitur) ait idem *B. Buchnerus* extr. l. i. c. 23.
ingenio, & quantum potest, serio elaborandum,
ut vel in omnes, vel certe plurimas species habi-
tusque unam ac eandem sententiam commute-
mus.

AD CAP. XXIX.

Modestia
Ciceronis
ratione
libri hu-
jus.

SI profitear, (quod utinam possem!) me
studiosis dicendi praecepta & quasi vias, quae
ad eloquentiam ferrent, traditurum; quis tan-
dem id justus rerum estimator reprehenderet?)
Vide mihi quaeso modestiam Romani Orato-
ris, atque imitare. Cum enim requisita Elo-
quentis singula ac universa, totamque adeo
compagem optime dicendi secundum causas
atque circumstantias per virtutes, quibus ante-
cellere disertus, perque vitia, quae fugere idem
debet, tanta & brevitate & utilitate simul in-
culcarit, nihil ut optari possit consummati-
us; dubitat adhuc, & inter desideranda po-
nit,

ad huc

mit, viasne, quæ ad eloquentiam ferrent,
& dicendi præcepta tradiderit Studiofis ac
reliquerit? ab eorum quàm longissimè re-
motus sectâ, qui ex libris qualibuscunq; su-
is, nescio quos Eloquentiæ *thesauros*, quæ
mellificia, palatia, theatra, Oratoresq; ex-
temporaneos, ambitiosis titulis exsculpunt
jactitantqve.

*In Republ. nostra primas eloquentia tenuit
semper, urbanis pacatisq; rebus, secundas juris
scientia.*)

Notetur hoc, quod *M. Cicero* de dignitate
artis nostræ ac prærogativâ testimonium hîc
affert. *Primas in Republ. Romana semper te-*
nuisse Eloquentiam, secundas scientiam juris,
nullus dubitat. Rationes si disideres, has *Tul-*
lius depromit: *in illâ gratia, gloria, presidijq;*
plurimum, in hâc persecutionum cautionumq;
perceptio est, quæ auxilium ab eloquentiâ sæpè
petit. Idem in Orat. pro *Muræna* argumen-
tis quatuor probavit *Tullius* præferendam
Jurisprudentiæ Oratoriam; conf. & *Buchner.*
c. 15. sub. fin. de commutat. dic. ratione,
lib. 2. *Duas artes ergo admiratur noster pro*
Muræna, quæ possunt homines locare in am-
plissimo dignitatis gradu: *Una Imperatoris,*
altera Oratoris boni. *Ab hoc enim pacis or-*
namenta retinentur, ab illo belli pericula repel-
luntur.

Studium
Eloquen-
tiæ an Ju-
ris. pru-
dentia
præferen-
dum. §

luntur. Adde, quòd inter multa alia, *scientiam juris complectatur eloquentia, non hanc illa. Eloquentia civili atq; Oratoria* (inquit Autor c. 5. de corruptæ Eloqv. causis.) *non aliud in civitate nostrâ vel ad utilitatem fructuosius, vel ad dignitatem amplius, vel ad urbis famam pulchrius, vel ad totius Imperij atqve omnium gentium notitiam illustrius excogitari potest. &c.* Laurentius Valla 4. Elegantiarum libro, 48. cap. (in quò non adeò clementer judicavit de Jureconsultis) *apparet, ait, quantò præstantior Orator est, quàm Jctus; cum hic sit quasi illius scriba: aut ille præceptor, hic pædagogus; ille dux, hic ducis legatus atq; assecla. Quid dicam, pergit idem Valla, de jurisperitis hoc in primis tempore? qui cum maximo ab illis Consultis intervallo distent, se literatorum arcem tenere arbitrantur! quorum quanta sit eruditio, vel hinc colligi conjecturapoteset & quæ seqq: Sed nos hanc litem nostram nec faciemus, nec definiemus inter partes utrobique dignas loco suo.*

Quantum
juncturæ
atq; vo-
cum col-
locationi
aptæ tri-
buendū.

Collocabuntur igitur verba, aut ut inter se quàm aptissimè cohæreant, extrema cum primis, eaq; sint quàm suavissimis vocibus aut ut forma ipsa concinnitasq; verborum conficiat orbem suum: aut ut comprehensio numerosè & aptè cadat.)

Ad comparandum eloquentiæ apparatus, inter

inter non ultima requisita collocatio verborum & junctura est. Incredibilem in componendo vim hanc obtinere, dubitare noli. Demosthenis sermonem, ob harmoniam hanc Sirenibus comparavit Æschines, auctore Halicarnasséo. Inter Latinos Vates propter juncturam quoque admirationi semper Maro fuit. Probè nimirum observatus insignem orationi gratiam conciliat; neglectus omnem elegantiam eidem adimit. *Quod ut intelligatur melius discrimen, eum opere pretium facturum puto, (inquit Vossius 4. Instit. 4.) qui inconditi alicujus orationem in quadrum redigat ac numerum &c.* Est autem (ut ad rem propiùs veniamus) collocationis negotium, verba invicem componere decenter: membris concinnam tribuere juncturam, totamque periodis concludere orationem. Primum igitur ejus in juncturâ atque compositione priorum cum posterioribus situm requisitum: alterum in formâ suavitateque verborum in orbem redigendorum: tertium in apto numero quoque sono. Ita quidem Tullius de præsentî argumento. Eadem penè *Dionys. Halicarnass.* libro peculiari de verborum collocatione (quo nihil hac in re uberius elaboratiusque adornari potuit) cap. 21. & 22. *doctrina, inquit, de collocatione tribus constare mihi videtur. Primum advertendum,*

G quid

quid cum quo connexum, pulchram & jucundam soleat sumere conjugationem. Deinde cognoscendum, eorum, quæ secum connecti debent, quomodo unumquodq; figuratum, præstantiorem apparere faciat juncturam. Tertio ex iis, quæ sumpta sunt, quæ opus habeant mutatione, ablatione scilicet, appositione, permutatione: tum dispiciendum, quomodo & quàm propriè ad usum præsentem singula elaborentur.

“ Uti architectus itaque, cum materiam paraverit, ex quâ domum ædificaturus est, lapides, ligna, tegulas, & id genus alia, dum ex his opus aliquod confecerit, tria hæc observare satagit. Primo cum quali lapide, vel ligno, vel latere qualem conjungere lapidem, lignum lateremq; oporteat: deinde quomodo unumquodq; eorum conformatum, & in quo latere locandum sit; tertio si aliquid non sit suo loco aptum, id abjicit, recidit, & congruum reddit. His inquam, similia ut faciant, opus est, qui cupiunt orationis partes benè collocare. *Hactenus ille.*

AD CAP. XXX.

Affectatio
eius
& nimietas
tamen
absit.

Nec id tamè fiat operosè) Compositas lepidè ad superstitionè usque formulas & structuras styli, tesserularum instar per emblematis vermiculati opus ex *Lucilio* ingeniosè vocat

cat *Tullius*. Optima nimirum quæq; nimio sui usu, vel abusu evalescunt. Sic res pulcherri-
mas ac pretiosas antea, si quotidianae fiant postmodò, in vilipendio haberi experimur. *Est modus in rebus*, est etiam in dictionibus. Verè *Lipsius* (cap. 13. de Instit. Epistol.) *Cum Oratio jam perfici incipit, & summa illi manus imponi, non cogitatio vitetur & affectatio: infelix sanè vitium, & quod obrepit specie virtutis. Ea est nimium cultus studium, & sine modo; quod per te agrè videas, aut vites. Felix cui doctor hic aliquis, aut monitor amicus. Juncturam itaq; & numerum, haud secus atque reliqua dicendi ornamenta sic adhibeamus, ut eorum nunquam saturi, semper cupidi redamur: cogitantes, talia non ciborum loco, sed condimentorum esse.*

Sententiæ si inconditis verbis efferuntur, offendunt aures, quarum est judicium superbissimum.)

Uti color atq; pulchritudo oculos; sic harmonia atq; sonus aures detinet & oblectat. Quidni igitur sententiæ inconditis prolatae verbis graves auribus ac tædiosæ accidant, cum sensuum delicatissimus auditus sit? Ut ille musicus concentus, ista modulatissima instrumentorum variorum ratio, per aurium bipatentes portas occupat animos ac pectora demulcet; sic, nisi faciat auditui satis ante

Aures de-
mulcen-
da, &
quomo-
dò?

omnia Orator, pro applausu strepitum, pro victoriâ reportabit vituperium & dedecus.

De Apo-
strophis
Veterum.

Vocales sine vocalibus sæpè brevitatis causâ contrahabant, ut ita dicerent: multi-modis, vas argenteis palm' & criminibus tecti fractis &c.)

Quâ lectionem nota, Lambinum reponere hîc ausum: *argentei vasis, passi crinibus*: contra Palatinos Codd. Nunc quando ita visum Consuli Romano est, ad Apostrophos per Grammaticorum elementa & subsellia descendamus. De contractione & extrusione literarum syllabarumq; & apostrophis exempla quædam affert: i. e. *palm', tecti', sodes, capsis, sis, ain' &c.* Tenendum nempe, Græcos olim ac vetustiores in Latio Scriptores, (Poëtas maximè intelligo) apostrophos & similes abbreviandi modos in tritissimo habuisse usu. Elidebantur autem vocales ideò, si fortè concurrissent duæ; ut: *men' incepto desistere victam?* non mene. Et, *ten'*, inquit Maro, *miserande puer; non tene?* T quoq; ex consonantibus extrudebatur; ut: *postquam res Asia;* pro postquam. M. autem, ut: *mult' ille & terris.* Vocalis item atq; consonans pariter: *Non equid' invideo.* Ne quicquam de Pacuvio, Accio, Afranio, Cecilio, Turpilio, Ennio, Lucretio, Plauto, Terentioq; dicam, in Virgilio non pauca ejus generis deprehenduntur. Tertio Æneid. canit: *He-*

*Hectoris Andromache Pyrrhin' connubia
servas?*

Et X. divini carminis:

- - *Tanton' me crimine dignum*

Duxisti, & tales voluisti expendere pœnas?

Solebant etiam veteres, quoties post *US* sequeretur *EST*, priores duas in *EST* literas abjicere: post vocalem, aut um tantum primam præcidebant. Itaque pro *auditus* est, scribebant *auditu' st*; vel cum apostrophi nota *auditus' t*. Pro *opera* est, & *auditum* est, scribebant; *opera' st*, *auditum' st*. Vide post *Marium Victorin. Vossii Aristarch. lib. 2. de arte Grammat. c. 6. confer & Scaliger de CC. LL. c. 14.*

Duellum, bellum, duis, bis, Duellium id est Bellium & c.)

Rectè *Hugo Grot. I. de J. P. I. §. 2. est Bellum*, inquit, *ex voce veteri duellum; ut duonus i. e. bonus & duis, bis & c.* Idem 15. advers. c. 15. *Turnebus: duis pro bis, ait, duona pro bona, duellum pro bello Veteres dixerunt. Affertur etiam à Festo illud: Simul duona eorum portat ad naves. Sunt ista tamen pleraque abolita & exoleta, raroque nisi in antiquis numismatibus & monumentis sæpius occurrunt.*

Axilla ala factus est, vel Etiam fugâ literæ vastioris. Etiam è maxillis & taxillis, & vexillo & paxillo)

Ala.

G 3

Sca-

Scaligeri etiam iudicio cap. 31. de CC. LL. non ab ala axilla sic, ut non parum errent, qui ab ala putant diminutivum duci. Ita & à vexillo per syncopen velum, uti à maxilla mala &c. Ceterum, quà lectionem, maluit *Muretus* 12. Var. lect. 20. è Codice Glorieriano *axillis* pro *taxillis*, *pauillumque* pro *pa-xillo*.

Sodes, sis.

Sodes, pro si audes, sis, pro, si vis;) Compositionem his inesse particulis, quis dubitat? Nam *sis* est *si vis*; *sodes*, *si audes*; *sultis* *si vultis*; *Festo* & *Donato* testibus. Quorum confirmat sententiam vetus *Scholias* *Persii*, à *Pitbeo* editus, in *Satyr.* 3. vers. 39. ubi sic scribit: *Sodes antiquæ affectationis est; adeò, ut soluto eo quidam usi sint, ut Plautus, qui per solutionem sic ait: Dic mihi, si audes, quæ est, quam ducere vis, uxorem?* Conf. *Vossii Aristarch.* 4. de analog. 28.

Capsis, & familia per syncopen: contra-cta verba.

In uno capsis tria verba sunt; ain', pro ais-ne; nequire, pro non quire; malle, pro magis velle; dein' & exin, pro deinde, exinde, dicimus.)

Erant mirificè amantes contractionis atq; syncopes Romani illi antiquissimi. Cujus quidem moris plurima in formulis exempla *Barnabas Brissonius* adduxit. Sic pro *cape si vis, capsis*; nescio an etiam *clepsit, rapsit?* dixerunt. quanquam propius est, ut existinem,

τὸ *clepsit rapsit*, syncopata esse pro *clepferit*,
rapferit, seu *rapuerit*. Hoc sensu Cicero 2.
 de LL. *sacrum*, inquit, *sacrove commendatum*
si quis clepsit rapsitve, parrieida esto. Plautus
 in *Rudente* etiam *clepse*, pro *clepsisse*; idemq;
 in *Amphitruone*, *dixit* pro *dixisse*. Lucretius
surpere pro *furripere*; Horatius quoq; *sur-*
pite, ait, pro *furripite*. *Noxit* pro *noeuerit*,
 Lucilio probatur: *porxit* pro *porrexit*,
 Statio. Catullo dictum est *abstersti*, pro *ab-*
sterfisti: Plauto, *auxsti*, pro *auxisti*: Aufo-
 nio similiter *consumsti*, Propertio *emun-*
xsti: Silio *extinxsti*: *surrexsti* Martiali.
 Sed illa magis propria Poëtis. Hæc se-
 quentia usu retenta ut: *quare*, id est,
 quâ de re; *cur*, id est cui rei? *præfiscini*, id est
 præ vel sine fascino, Græcè ἀβασκάντας; *nu-*
dus tertius, id est nunc dies tertius; *postri-*
diè, id est postero die; *perendie*, quasi perem-
 tâ die; *amabo* id est amabo te. De quibus
 ex professo & passim egit ὁ πᾶν Voss. in Ari-
 starcho suo, l. 2. de analog. c. 14. lib. 3. in pri-
 mis c. 42. lib. 4. c. 21.

Ex eo est *mecum*, & *tecum*, non, *cum me*,
cum te; ut esset simile illis, *vobiscū* & *nobiscum*.
 Pronomina hæc composita per subjectam
 καὶ ἀναστροφῆν præpositionem, adverbiiis
 accensent aliqui. Quod cur fiat, docet in
 præsentī Cicero, & ex illo Priscianus lib. 12. ubi

Mecum
 tecum,
 vobiscū,

non modò secutus Diomedem, *mecum, tecum, secum, nobiscum, vobiscum, disertim scribit esse provocabula.* Sed & è Tullio docet, subijci præpositionem, quò evitetur cacophonon; ejusdemq; sententiæ Plinium nominat 2. dubii sermonis libro. *Et sanè, (inquit porrò Vossius, 1. de analog. 2.) si mecum, tecum similiaq; sunt adverbia; cur eccum, ec-cam, eccos, ellum, eccillum, eccistam?*

Deum,
meum,
factum,
pro Deo-
rum &c.

Proh Deum atq; hominum fidem! Deorum ajunt. Item: patris mei meum factum pudet; pro meorum factorum.)

Non hoc per syncopen, sed Græcorum imitatione factum *Cæsar Scaliger c. 85. de CC. LL. arbitratur. Ut Græci loquebantur, scribit, sic nos locutos puto: ut censeam, meum, Deum & liberum, dixisse pro meorum, Deorum, liberorum: adeò ut contra omnes sentiam, non per syncopen sic enunciari, sed integras fuisse voces. Contra verò Vossius ex sententiâ Apollinaris, Prisciani, aliorumq; statuit, nostrum, vestrum $\kappa\tau\omicron\upsilon\upsilon\kappa\tau\omicron\mu\epsilon$ facta ex nostrorum & vestrorum. Plura de his idem l. 4. de analog. c. 4.*

Num-
mum 2.
que,

Sestertium nummum, non nummorum:) De hac formula, post alios imprimis consule Gronov. nunquam satis laudato de pecun. veteri tractatu, sparsim, & præcipuè 2. libr. c. 2.

Im. 2.

*Impetratum est à consuetudine, ut peccare
svavitatis causâ liceret:)*

Svavitatis
causâ an
peccan-
dum?

Ergone svavitatis norma etiam consuetudo?
Ita videtur quidem Ciceroni. Nos verò du-
bitabimusne, usum, (penes quem est vis &
norma loqvendi, ut Poëta ait,) non valere
plus, quàm scientiam doctissimorum sæpè
hominum? Hæc tamen adhibenda cautio, ut
loquamur cum vulgo, sentiamus cum eruditis.
Usum loqvendi populo, (inquit ipse de se
Noster,) concessi, scientiam mihi reservavi.

Me hercule) Gentilis formula jurandi hæc
indigna Christianis penitus, quantumvis pas-
sim adhiberi solita, non nihil repetenda alti-
ùs. Herculem jurare fæminis, viris Casto-
rem fuisse nefas, Pollucem fas utriqve, ex
Varrone prodidit *Agellius* XI. noct. Att. 6.
Quam sententiam confirmant Comicorum
fabulæ in quibus matronarum genus omne
suum illud *Mecastor*, ut *me herclè* viri, ambo
interdum *Ædepol* observant superstitiosè.
Nobis (verba refero *Philippi Caroli* ad ante
allegatum *Gellianum* locum in animadver-
sionibus eruditissimis) *qui Christi signa seqvi-*
mur, tesserâ gentili istâ penitus interdictum est,
& jurare per Deos alienos, nefaria impietas.
Ignoras, *me herclè* juramentum esse per Her-
culem? scribit *Tertullianus* de Idololatriâ.
Audi *Augustinum* ex l. i. *Retractat.* c. i. non

Me her-
cule im-
probatur.

mibi placet, toties me appellâsse fortunam. Quamvis non Deam aliquam voluerim hoc nomine intelligi; sed rerum fortuitum eventum, & quæ seqq:

Archais-
mi ali-
quot.

Pulcros, Triumphos, sepulcra, lacrimas &c.)
Vide de his & similibus quàm multis Lexicographos & adde Origines Becmanni de LL. propter genuinam scriptionem.

Purrbum semper Ennius) sed *Burrum* legunt Palat. 1. & 2. nec non *Petrus Victorius* 14. Var. Lect. c. 3.

Antiqui-
tatis rancidæ
ridi-
culi imi-
tatores.

Jam subrusticum videtur, olim autem politus, ut optimum. Ita non erat offensio in versibus, quam nunc fugiunt Poëta novi. Ita enim loquebamur: qui est omnibu' Princeps, non omnibus Princeps. Et vitâ illâ dignu, locoque, non dignus.) Huc animos advertite, qui obsoletis situq; pridem occupatis vocibus aut sonis tantoperè placetis vobis! *Multis videlicet, (ut Romanus Sapiens ad Lucil. epist. 114. conqueritur,) invenias, ex alienô seculô verba petere: duodecim Tabulas loqui: Gracchos & Crassos & Curiones nimis cultos & recentes esse: ad Appium usq; & Coruncanium redire malunt.* Qui dum maxumè ancqvirunt caeca molta atq; rancida, verbaq; vix matri optumæ Evandri aut Thusco Auguri cuidam satis intellecta consectantur, si præteritis potius viverent moribus, præsentibusq; uterentur verbis, majus fortasse pretium operæ facturi essent,

ex

ex sententia Gellij I. Noct. Att. 10. qui ibidem:
*Habe semper in memoriâ atq; in pectore, ut
 tanquam scopulum, sic fugias inauditum
 atq; insolens verbum!* bene monuit. An-
 tiqvarium quendam percontatus olim Demo-
 nax, cum non perciperet eundem: *Ego qui-
 dem, inquit, amice, nunc te interrogavi; tu
 verò ut Agamemnonis tempore respondes.* Quod
 ad illa attinet à Tullio producta ex antiquis,
 ceu *optumus*, itemq; *omnibu'*, *dignu'* & si-
 milia, notandum, subrustica ipsomet iudice,
 & *indocta consuetudini videri accensenda talia,*
 in Accio, Pacuvio, Ennio, Lucretio, Plautove
 occurrentia quandoque. Bene autor dialo-
 gi apud Tacit. de CC. Corrupt. Eloqv. c. 20.
*exigitur ab Oratore etiam poëticus decor, non
 Accij aut Pacuvij veneno inquinatus, sed ex Ho-
 ratij & Virgilij sacrario prolatus.* Et c. 21. *sordes
 verborum, ait, & hians compositio, & incon-
 diti sensus redolent antiquitatem; nec quen-
 quam adeò antiquarium puto, ut Caelium ex eâ
 parte laudet, quâ antiquus est.* Ante tempo-
 ra Caji Cæsaris nimirum U pro J veteres
 deperiêre adeò; ut mallent, *maximum, optu-
 mum, estimatissimumque.* Vid. Scaliger. l. 1.
 de CC. LL. c. 21. *Jam verò mallem ipse fari ad
 presencem usum, quam fabari ex præterito.*
 Nec cum Romano illo Eqvite *apludem* (id est
 fur-

furfur) edam, bibamq; *flores*, sive *faeces*. *Ego* (verba sunt doctissimi *Philipp. Caroli* ad XI. Gell. 7.) *hujusmodi verborum monstris concinnatas chartas ad sellas Patroclianas ire jubeo: aut quò misit Volusii annales Catullus.* Conf. eund. ad Agell. l. 9. Centonem istiusmodi numeris Platonice obscuriorem confarcinavit Lepidissimus Taubmannus seq: *Gnobiles gnaruresq; viri, ob rem vescam & pasceolum prodigitare topper ex enteratum: insana remeligo pleros Architectones meos calvitur: ut, nisi qua fors resculam meam properiter argento grandiat, angustitas mihi cor concipilet: vestra igitur patrocinator & detenifica vox ne bovinetur, aut mihi obstringillet, apud in Toparcham, quei pro esu domuis mis pololum argentescam.*

AD CAP. XXXI.

Sonus
quanto
perè ob-
lectet
aures.

Due sunt res, quæ permulceant aures, sonus & numerus.) Cùm artes omninò duæ sint, quibus oblectantur ab auditu animi, dum & auribus fit satis, tùm per eas arcem mentis occupare Rhetores ac expugnare omni ope studuerunt. Quis enim tam ferrei adamantiniq; pectoris est homo, quem non affi-

afficiat trahatq; svavis harmonia, aut in artificiosos numeros formatum carmen? *Saxa nemusq; Orpheus divinò carmine traxit.* Demosthenis sermonem etiam, ob harmoniam hanc Sirenibus comparavit *Æschines*, auctore *Dionysio Halicarnassensi*. A dulcedine sonorum ac varietate musicus concentus pendet: à numerorum ordine & concinnitate versui accedit gratia. Quis sonum igitur & numerum ex arte temperatum negligat Orator?

Nunc de sono quærimus.) Errant graviter, secundum *Voss. 4. Inst. Orat. 2.* quòd statuunt, ineptum esse hodiè præcipere quicquam de Latina lingua sono; quia is amplius natus non sit: ita & illi longè extra veritatis semitam feruntur, qui in veterum recentiorumq; orationibus omnia ex vulgari æstimant pronuntiatione. Cetera vid. ab. eund. l. alleg.

Verba legenda sunt potissimum sonantia; sed ea non ut Poëta, exquisita ad sonum, sed sumta de medio.)

Observandæ aliquot hinc regulæ. Prima est, ut sonantiora seligantur. Dispiciendum nempe de istis dictionibus ornatûs studioso, quæ ad naturam rei exprimendam proximè accedunt. Bellè hinc *Virgilius*:

*Quadrupedante putrem sonitu, quatit
ungula campum.*

Et alibi de *Polyphemo*:

Men-

Quænam
circa sonum
observanda?

Monstrum horrendum, informe, ingens cui lumen ademptum.

Et fuit sanè inter Latinos Vates observantissimus juncturae Maro; qui non modicam propterea carmini suo elegantiam conciliavit. (2) *Cavendum interim, ne in Poëticum excessum sonus hic degeneret.* Extrema quippe duo in ornatu aliàs vitanda, ne vel nullus, vel nimius, & ultra *ἄπειρον* affectatus numerus existat. Est modus in rebus, est etiam in verbis. Aliud Poëtam decet, aliudq; Oratorem. (3) *Verbalia absolutis, composita simplicibus, superlativa positivis, & generatim verba omnia, quæ longioribus gravioribusq; constant syllabis, reliquis consonantiora sunt.* Ut: conservatrix, gravissimè, magnanimus, consceleratus, trucidare: pro, conservans, graviter, generosus, sceleratus vel scelestus, occidere &c.

Var. Lect.

Quà pontus Helles superat modum) Grutero Lipsii emendatio arridet hæc: *quà Pontus ab Helles.* Palatinus 1. & 2. *qua Pontus Heles superat modum ad auricos locorum.* Sed hæc monstra. Quartus verò V. & VI. ita: *quà Pontus Helles superat Tmolum & Tauricos locorum.*

Et h. l.

Insvavissima litera infinitus.) Finitus legunt Palatini 1. & 2. quos Lambinus sequitur. Sed *infinitum* malunt Codd. antiquiores: *Guilielmus, insignitus.* Aliter adhuc tamen Palatini ultimi.

Inteb-

Intelligamus, non quæsitum esse numerum, sed secutum.)

Quod hîc exemplo suo Tullius inculcat, dictum ubiq; nobis ferio putemus: ut non affectatus & ambitiosè admodum quæsitus, sed secutus, & velut sponte veniens appareat.

Numetus
ne affe-
ctatus,

Πάντων μὲν κέρδιον ἐστὶ καὶ ὕπνου καὶ φιλοτινίας; cur non & numeri? qui nimium quæsitus vitio dabatur *Gorgia Leontino*. Primùm enim, (ut noster infra monet,) *numerus agnoscitur, deinde satiat: postea cognita facilitate contemnitur. Detrahit præterea actionis decorem, aufert humanum sensum actionis, tollit veritatem & fidem*. Circumspiciamus igitur, quo loco! ne dum ferri debet ac fluere oratio, in metiendis pedibus ac perpendendis syllabis consenescat. Conf. quæ hanc in rem scripsimus *axiom. 3. lib. 4. Medull. Orat. c. 7.*

AD CAP. XXXII.

Numerus Latinè, Græcè ἑσθημός) Scali-
gero hîc auscultandum ex 4. de re Poët.
44. *Apud nos, inquit, significat discretam quan-*
titatem. Numerum Latini dixerunt à distri-
butione. Huic numero Musicus cum addidit
sonum, solum fecit atq; ἀριθμὸν appellavit.
Majores nostri, qui in armis nati, sanè Græcas

Quid sit
ratione
nominis?

artes

artes excoluere, cum aliam commodiorem non invenirent, communi cum priori voce appellare. Atq; hæc de nomine:

Cur claudicare) Ita Palatini omnes & Pithæi codd. perperam iccirco claudere nonnulli legunt.

Quid ratione rei?

Numerus nihil affert aliud, nisi ut sit aptè verbis comprehensa sententia.)

Post indicatum nomen, rem numerumque ipsum Tullius definit. Vicissim audiendus Cæsar Scaliger: *Numerus est concinnitas Orationis, apta rei, quæ significatur. Intellego rem, aut quæ est, aut quæ esse fingitur. Oritur ex partium quantitate, qualitate, dispositione. Quantitas duplex, in corpore & in tempore. Corpus apello, dictionis extensionem: Tempus tractum pronunciationis. Qualitas in tenore & in sono. Tenorem intellego elevationem vocis, aut depressionem. Sonum, aëris verberationem qualemcunque. Dispositio comprehendit locum, situm, ordinem. Quæ singula capp. distinctis aliquot exponit. 4. de re Poët divinus Scaliger.*

Versus in oratione ne excidat inopiant.

Is Aristoteles versum in oratione vetat esse, numerum jubet.) Quantum in oratione vitium existat, si præter sententiam scribentis vel incipiat à versu, vel in eundem desinat oratio, declarant illa Vosii 4. Instit. Orat. 4. *Quemadmodum, ait, in poëmatis merito reprehenden-*

prehenditur, si compositio sit prosa similis. Ita nihil in prosa oratione vitiosius est, quam si periodum à carmine, vel hemistichio ordiamur: aut si in versum vel partem ejus desinat. Quà tamen in re liberiores sunt Historici. De quibus multa Vossius. Cicero cap: 37. infra h. l. versus, ait, sepè in oratione per imprudentiam dicimus; quod vehementer est vitiosum &c: & paulò post; vitiosum genus hoc & longà animi provisione fugiendum nominat. Tales etiam in prosa versus observavit plures apud *Ædram, Varronem, Appulej. Quintilian. Symmachum* aliosq; *Nobiliss. Barthius* 16. *Adversar. cap. 14.* uti in *LL. J. C. torum Romanorum Scipio Gentilis*, in *Plinii Panegyrico Colerus*, in *Germania Taciti Gerardus Falcoburgius*; quos vide.

Theatra tota exclamant.) *Lambinus* restituendum arbitratur, *reclamant*. Sed *reclamant* libri, nec acclamat sensus. Rem ipsam quod spectat, certum est, tantoperè studiosum numeri fuisse *Ciceronem*, ut non minimam applausus gloriæq; partem ab eodè peteret impetraretqve. Sic enim ipsemet de se ad illud, inquit, *patris dictū sapiens temeritas filij comprobavit. Hoc dichoreo*, pergit idem, *tantus clamor concionis excitatus est, ut admirabile esset. Quæro, nonne id numerus effecerit? Verborum ordinem immuta; fac sic: comprobavit filij temeritas; jam nihilerit; quia temeritas*

Vapulat
Lambing.

Applausus
ex numero.

ex tribus brevibus & longa est. Conf. omnino quoque; Dionys. Halicarn. de verborum Collocatione cap. 30.

AD CAP. XXXIII.

Inventores numeri Oratorum.
iii.

Qui Isocratem maximè mirantur, hoc in ejus summis laudibus ferunt, quòd verbis solutis numeros primus adjunxerit & c: usq; eò: sed princeps inveniendi fuit Thrasymachus. Ita est, ut Cicero testatur; numerum Oratoriam primus invenit Thrasymachus Chalcedonius; auxit Gorgias Leontinus; perfecit Isocrates. Audiendus Caesar Scaliger 3. Poëtices 75. Cum prisci Oratores id agerent, modò, ut moverent; (inconditè namq; suadebant,) Poëta verò, ut oblectarent tantum; (cantiunculis enim solis otium transigebant,) utriq; ab alteris postea id, quòd carebant, mutuati sunt. Numeros enim primus addidisse Isocrates incondite orationi dictus est. Quamquam qui accuratiùs rem ipsam ex literarum monumentis eruerunt, eam laudem attribuunt Thrasymacho; cujus diligentia aucta sit à Gorgia; postremò ab Isocrate perfecta.

Gorgias festi-
vitatibus
excessu
laboravit
in festi-
vis.

Gorgias festi-
vitatibus insolentiùs abutebatur: In afferendis salibus ac jocis Gorgiæ consilium hoc fuit, ut seria adversariorum dicta jocularibus, & jocularia seriis discutiamus. In seriis tamen non nisi maximo cum

judicio indulgendum jocis esse, monet Vir
 gravisimus. Quædam enim jocularia con-
 veniunt ἐλευθέρω, quædam βωμολόγω (Scur-
 ræ) Prospiciendum itaque, ne, dum εὐτραπέ-
 λια confectamur, σόμματα afferamus Φορ-
 τικὰ, & accusatoribus digniora.

Se ipse, (Isocrates) tantum, quantum ætate
 procedebat, relaxârat à nimia necessitate nume-
 rorum) Numerorum cura ætatem juvenilem
 magis quàm senilem decet. Inde est, quòd
 multò parcior in observando numero Isocra-
 tes decrepitâ ætate factus est. Orationes ejus
 igitur, quas sub finem vitæ scripsit, minus ju-
 veniles Halicarnassensis scriptor memorat.
 Quâ de re plura toties laudatus Vossius 4. In-
 stit. Orat. 4. sub fin.

CAP. XXXIV.

Λυρικά à Grecis nominantur: quos cum
 cantu spoliaveris, nuda panè remanet Oratio.
 Proxima Heroicæ majestati Lyrica nobilitas,
 secundum Casarem Scaligerum l. i. Poëtices
 c. 44. A cantu autem & lyra Lyricorum ap-
 pellatio; neque enim sine cantu lyrâq; hæc
 carmina pronunciabant prisca vates. Odas
 quoq; à canendo ita dici, pro exemplo est Ho-
 ratius. Grammatici Pindaricas cantiones in-
 scripsere ὕμνη; alij maluerunt ᾠδὴν; hinc per
 diminutivum etiam Ἰδύλλιον denominatio. Quæ-
 cumq; verò cadere in breve carmen possunt, lyri-
 cis

An senes
 deceat
 tantoperè
 numerus?

Carmen
 Lyricum
 quid?

cis ea numeris colligere jus est; eodem alibi Scaligero monente l. 3. c. 124. laudes nimirū, amores, jurgia, insectationes, objurgatoria, vota ad indulgendum genio, exhortationes, desideria, conqvestiones, locorum, temporum explicationes, nova consilia, deliberationes, & id genus alia similia lyricorum cantui ac modis maxime idonea.

Lambinus
vapulat
vicissim.

Numerus autem non modo depromebatur & c.) Pro non modo quidam legunt non domo; sed inconvenienter admodum. Lambinus ridiculè apponit nondum.

AD CAP. XXXV.

Exempla
aliquod
autorum,
quibus
versus
excide-
runt
præter
mentem.

Hic corrector (Hieronymus Peripateticus) in eò ipso locò, quo reprehendit, immittit imprudens ipse senarium.) Genus vehementer vitiosum & longâ animi pro-
visione fugiendum vocat cap. præsentis Cicero, cum per imprudentiam versus, sæpè etiam minus usitatos solutæ orationi immiscemus. Hoc nomine Isocratè reprehensum à nobili Peripatetico Hieronymo, propter senarios ac Anapæstos esse, cum hic ipse interim corrector senariū immiserit imprudens, memorat. Sed vereor, ne culpa eadem doctorem Tulliū redarguat. Versus nempe Jambicus primâ Invektivarum in Catilin. est: *Senatus hoc intelligit, Consul videt.* Et ille Hexameter pro Ar-

Archia: in quo me non inficior mediocriter esse versatum. Libro 3. de Oratore, ubi hoc maximè exagitur vitiū, totū distichon inventum est. Ita enim Crassus loquitur: *complexi plus multò etiam vidisse videntur, quàm quantum nostrum ingeniorum acies* intueri potest. Ex eodem Phalæcium istum adducit Capella: *successit tibi Livius Metellus.* Quin & Fabius l. 9. c. 4. atq; Diomedes lib. 2. scribunt, Tullum Orationem in Pisonem à trimetro hoc incepisse: *proh dij immortales, quis hic illuxit dies!* In primis verò versus integri atq; etiam Hexametri complures Ciceroni excidère in epistolis. Sic epistol. ad Lentul: *His ego consiliis si te presentem habuissem!* lib. 3. ad Curionem: *quare da te homini; complectetur, mihi crede.* Idem ad Attic. l. 2. *Displiceo mihi, nec sine summo scribo dolore.* Et ad eundem l. 15. *Ita credo: sed mihi totum ejus consilium ad bellum spectare videtur &c.* Conf. in primis Voss. l. 4. Inst. Or. c. 4.

Sequitur ergo, ut, qui maximè cadant in orationem aptam numeri, videndum sit. &c.)
Propter generosos gravesq; ac amplos pedes compositio etiam majestatis plena, firma & magna evadit: propter ignobiles & abjectos exilis & contempta. Quò enim quisque pedum temporibus sunt pleniores, longisq; syllabis magis stabiles, hoc graviolem faciunt Orationem; breves reddunt celerem ac mo-

Quinam generosiores propter numerum pedes.

bilem: cum autem pedum Oratoriorum quidam sint dissyllabi & trissyllabi, plures quadrisyllabi, nonnulli quinqvesyllabi; quinam Oratoribus Asiaticis, Aristoteli ac Ciceroni usitatiores fuerint, expedit *Fabius* 9. *Instit. Orat.* 4.

Ephorus
quis fuerit?

Ephorus autem levis ipse Orator, sed profectus ex optimâ disciplinâ &c. (De *ὀλιγομοιᾷ* styloq; Ephori satis iudicat benignè *Diodorus Siculus* initio lib. V. ubi sic: *Ephorus*, ait, res passim gestas describens, non verborum elegantia duntaxat, sed accuratâ ordinis quoq; observatione, probi officio Historici fungitur. Aliiter tamen *Duris Samius* l. I. *Hist.* qui & Ephorum & Theopompum scribit multum cedere superioribus: nam & imitationis gratiâ carere & dictionis venustate: nec multum habere pensi, quomodo scribant. Poterat contemni ergo Ephorus, nisi *Dio* etiam *Chrysostomus* oratione eâ, quam de dicendi scripsit exercitiô, Ephoro tribueret τὸ ὑπὸ τῶν κατὰ ἀνεπιμένον τῆς ἀπαισιολίας, (supinum & remissum orationis genus.) idemq; *Suidæ* iudicium, cum scribit: *Ephorus* ingenio quidem erat simplici: in dictione verò historicâ supinus ac segnis, & contentione carens. Plura de hoc vide ap. *Koss.* l. I. de *Hist. Græc.* c. 7.

Mistura
numeri.
probanda.

Sit igitur permista & temperata numeris nec dissoluta, nec tota numerosa, pane maximè sed reliquis etiam numeris temperata.) Nihil orationi

tioni magis congruum, quàm mistura brevium & longarum syllabarum. Illa etenim ut nimis propera, sonum pænè puerilium crepitaculorum continuata reddit: hæc pigra admodum lentorem nescio quem orationi affert & ingratham tarditatem. Tutissima res mistura ex utrisque. Hinc & Dicrochæo tantoperè usi Oratores Asiatici in clausulis.

AD. CAPITA XXXVI. XXXVII. & XXXVIII.

Complectemur unà, quod ad unum spectat argumentum, & capitibus his tribus comprehensum est. De numero Oratorio speciatim varia tractavit Tullius, quæ dum interiora artis hujus exhibent, per axiomata nonnulla incedemus. Primum esto: *Non omnis numerus orationem omnem decet.* Videndum scilicet qui sint accommodatiores huic generi aut illi, ut temperamento artificioso misceantur invicem. Jambus enim, Cicerone iudice, in his frequentissimus esse debet, quæ demisso atque humili sermone proferuntur. Pæon autem in amplioribus: in utroque dactylus. Jambus ex dissyllabis, dactylus ex trisyllabis, ex quadrisyllabis pæon in variâ & perpetuâ oratione si contemperentur rectè, singularem soni suavitatem edunt. Pæona autem quartum (*uuu-*) Tullius in fine, Aristoteles pæona primum (*-uuu*) usitabat maximè. II. Nu-

De numero Oratorio observ. aliquot regulæ.

merorum artificium tam moderandum providè, ne aucupium delectationis facile prodatur. Modum geminum hoc I. Cicero commendat: prior est quadranda orationis industria, ut accuratiore collocatione & juncturâ quolibet nestantur: alter, ut sententiarum & verborum pondere detineamus animos. III. Numerus nec claudicantem faciat, nec undabundum velut atq; fluctuantem sonum, sed constanter & equaliter ingredientem. Illud fit tot brevium, hoc longarum nimis pedum compositione. Magna etiam in vocalium similibus maximè concursu sita est asperitas; quin & in ipsis verbis, cum syllabæ è duris constant literis. Magnâ porrò cautione opus, ne quem insaviorem sonum, invenustatem, aut molestiam quandam aliam consonantium pariter & vocalium collisiones pariant. Vid. Dionys. Halicarn. in fragmentis, de admirandâ vi dicendi in Demosthene c. 44. IV. Observandus probè numerus ab initio, non adeò sollicitè in medio, sed ante omnia in fine. A fronte nimirum & à tergo, cum prima aures æq; atq; oculi observent, extremum verò magis notent & in ultimis acquiescant, polienda illa styli vestis. Specialiora plura noster cap. ipso 40. brevissimis exposuit, quæ conferantur.

AD

AD CAP. XXXIX.

De Perio-
do Orato-
ria.

Quæsitum est, in totone circuitu Orationis, quem Græci *Ἐξοδος*, nos tum ambitum, tum circuitum, tum comprehensionem aut circumscriptionem dicimus &c. numerus tenendus sit? De periodo Oratoria, quæ est perfecti sensus comprehensio ex membris ad sententiam propositam distinctè accommodatis constans, omnium accuratissimè complura docuit J. Caesar Scaliger 4. de re poët. c. 25. quem vide. De partibus periodi consulatur infra Cicero cap. 45. & imprimis eò conferatur Erycius Puteanus in distinctionum facula, cap. 4.

Ergo in aliis, id est, in Historia & in eo (nempe genere) quod appellamus *Ἰστορικὸν*, placet omnia dici Isocratéo Theopompejog, more &c.) Ut non idem omnibus scribendi argumentum, nec scopus idem atque stylus, sic pro diversitate thematis ac generis, operosior periodorum, aut minor habenda cura. Periodis nimirum maximè incumbendum in historiis, & quæcunquæ aliàs ornatui aut delectationi, ut in genere demonstrativo serviunt. In Jurediciali & forensi minus adhibentur; quia qui in capitis aut alio periculo versantur, parùm de fuce ac ostentatione sunt solliciti. Non tamen omninò periodos concinnas abhorrere genus illud, dicit Vossius. Iis quippe utimur, Quintiliano teste,

Ubi in-
cumben-
dum ei
maximè

in

in procemiis causarum maximarum, ubi miferatione res aut commentatione indiget. In narrationibus item, quæ plus habent dignitatis, quàm coloris.

AD CAP. XL.

Graci *κόμματα* & *κῶλα* nominant, nos non *rectè incisa* & *membra dicamus.*) Ex mente J. C. Scaligeri l. allegato *κῶλον* pars periodi est verbo suo fulta, si multæ sint periodi partes, ad unum relatæ verbum, non illa *κῶλα*, sed *κόμματα* vocanda. non enim, inquit idē, *membra sunt, nisi proprium habeant modum, non movetur autem oratio, nisi per verbum.* Adde *Putean. fac. distinct.*

Necessitas cogat, aut novum facere verbum, aut à simili mutuari.)

An, & quatenus licitum, nova facere verba?

Multiplicatis rebus, multiplicari oportere nomina, quis neget? Vocabulorum autem Latinorum etiam determinatam esse multitudinem, quotusquisque nescit? *Quanta verborum,* (inquit *Seneca epist. 58.*) *paupertas nobis, imò egestas sit, nunquam magis, quàm hodie no die intellexi.* Eodem modo *Plinius* ille *Junior* conqvestus 4. *Epist. 18.* fuit. Hoc si desiderarunt veteres, & nova rebus nomina imponere noviter inventis, quid non liceret parili *ὀνοματοποιίας* jure posteris? *Rectè Fabius 8. Instit. Orat. 3.* *Neq; tamen accedo Celsa,* ait, *qui ab Oratore verba fingi vetat.* & quæ sequuntur. extra

Extra necessitatem tamen quicquid hinc tentatur à prurigine privatâ, temeritudini affine crimen est. Vid. de hoc argumento differentem in utilissimo & variâ doctrinâ pleno scripto DN. Job. Vorstium, de Latinit. merito suspecta.

AD CAP. XLI.

IN Orationis numero nihil est tam vitiosum, quàm si semper est idem.) Variatio numeri orationem decet; nec quicquam adversatur illi adeò, quàm vel multarum simul brevium continuatio, vel etiam longarum. Illa equidem ut nimis propera sonum panè reddit puerilium crepitaculorum, Fabio monente: hæc pigra admodum ac lenta, infavitationem nescio quam orationi affert & ingratham tarditatem.

Nihil interest, dactylus sit extremus, an Creticus: quia postrema syllaba brevis, an longa sit, ne in versu quidem refert.) Propter libertatem pedis numeriq; Oratorii; potissimum in fine, longam pro brevi, brevem pro longâ poni posse, certum est. Nec quicquam ad rem facit, quod hoc impugnavit Aristoteles. Cui Ciceronem & Quintilianum hinc opponas jure. Conf. Voss. 4. Instit. Orat. 4.

Dochimus quovis loco aptus est.) Ex quinque syllabis pes omni loco, maximè communis est

Numerus
Oratorius
variis esto.

Qvales
nam clausu-
lis apti-
ores pe-
des?

est dochimus. (v--v-) Ex quadrifyllabis familiarissimus Asiaticis Ditrocheus. (-v-v.) Pæon quartus (vvv-) Ciceroni; primus (-vvv) Aristoteli laudatur. Vid. Tabell. hanc in rem adornatam l. 4. Medull. Orat. cap. 7.

AD CAP. XLII.

De Periodi mensura.

Equatior igitur, quasi hexametrorum instar versuum constat ferè plena comprehensio.) Periodum longiorem esse non debere, quàm ut unò possit spiritu proferri, Diomedes atq; Isidorus commonent. De communi ejus longitudine, pro quatuor lineis circiter pronunciavit Tullius. Interdum tamen non tam syllabarum numero aut vocum, quàm mensurâ sensui conveniente quantitatem hanc absolvi. Sæpè enim accidit, ut aut citiùs sit abrumpendû, aut procedendum longiùs, ne aut brevitatis defraudâsse aures videatur, aut longitudo obtudisse. Jam videlicet μονόκωλον, jam δίκωλον, jam τρίκωλον, jam τετράκωλον, já πεντάκωλον, jam plurimum membrorum est periodus, usq; ad δεκάκωλον, quæ omnium longissima existit; nec tam periodus apud Oratores, quàm περιόδική περιβολή, aut πνύμα, aut extensio vel τῆσις audit.

AD

A *Pud Asiaticos maximè numero servientes, inculcata reperias inania quædam verba, quasi complementa numerorū.)* Ut sonus numerorum artificiosè caderet, voces sæpenumerò supervacaneas interferebant Oratores Asiatici. Sed ut inter vitia sermonis veteres *υανηγογία*, ipsam posuerunt, sic *inania verborum* illa, & *numerorum complementa* meritò fastidit optimus quisq; ac ridet. Vid. de hoc argumento *B. Buchner. lib. I. de commutat. dic. ratione c. 21.*

Quantum sit aptè dicere, experiri licet, si aut compositæ Orationis benè structam collocatorem dissolvas permutatione verborum.)

Quantum gratiæ ac dignitatis ordo artificialis conferat Orationi, nusquàm certius agnoscas, quàm si vel compositi, vel inconditi Autoris alicujus in quadrum redigatur dictio. Quomodò *Lazarum Bassarensem* memoriæ produnt Orationem *Philelphi* eruditam illam quidem præclarisque sententiis refertam, sed nullâ juncturæ elegantiam & planè numeri expertem, verborum ordine immutato, numeroq; addito talem effecisse, ut ab alio quovis, quàm à *Philelpho* scripta videretur. Quod collocationis artificium quando à plerisq; hodiè negligitur, fit adeò, ut infantes in dicendo, in scribendo autem jejuni aridiq; simus; ut prudenter monuit *Omphalius* lib. de elocutionis imitatione.

AD

Verborū
inania
comple-
menta.

Experi-
mentum
collocati-
onis aptæ
& in eptæ.

AD CAP. XLIV. & ult.

Epilogus
modeste
& huma-
niter ad-
iectus.

Habes meum de Oratore, Brute, iudicium; quod aut sequere, si probaveris; aut tuo stabis, si aliud quoddam est tuum. In quo neq; pugnabo tecum, neq; hoc meum, de quo tanto-perè hoc libro asseveravi, unquam affirmabo esse verius, quam tuum.) Ut ab initio notavimus, in *περίλογον*, in *λόγον* ipsum & *ἐπίλογον* dispesci universim aureus libellus potest. Ad exodum epilogumq; blandum Bruti alloquium hoc spectat. Ideam nempe boni & perfecti Oratoris descripturus Cicero, hoc quicquid est opusculi, tot Bruti literis, tot precibus permotus, (ut ipse testis est) Catone absoluto mox aggressus adornavit. De quo si unum id addidero, communibus doctissimorum hominum sententiis, *inter Tullianos omnes, de re Oratoriâ labores, hunc consummatissimum haberi, commendatione nullâ amplius, opinor, erit.*

Habes nostrum, LECTOR HONORANDE, etiam de PERF. ORATORE iudicium, quod aut sequere, si probaveris; aut tuo stabis, si aliud quoddam est tuum.


*Diversum sentire duos de rebus iisdem,
Incolumi licuit semper amicitia.*

T. G. A.

um;
tuo
negs
nto-
nabo
ota-
ilc-
test.
llo-
i &
hoc
tot
rone
vo si
mo-
ns o-
sum-
am-

NO-
ORE
eris;
um,
m,





ULB Halle


006 608 647




3

UD 27

Z





Farbkarte #13

B.I.G.



M. T. CICERONIS
ORATOR PERFECTUS

ANNOTAMENTIS ILLUSTRATUS
GEORGI CASPARIS
KIRCHMAJERI,

Orat. P. P.
Sub auspicio Ejusdem
Publicè exhibebitur

RESPONDENTE
JOHANNE GEORGIO HAHNIO,
Dresdensi,

D. *Maji, A. clō Iac LXXIV,*
H. Lqj. S.



WITTENBERGÆ,
Literis MICHAELIS MEYERI VIDUÆ.

